



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Pati est Hominis Inevitabile Fatum**

**Neissen, Johann Adolph**

**Coloniæ Agrippinæ, 1721**

Pars Secunda. Quivis hominum status subit Cruces.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49134](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49134)

# PARS SECUNDA

Quivis hominum status subit  
Cruces.

**M**onitum divinum est, qui justus est, justificetur adhuc: & qui Sanctus est, sanctificetur adhuc: his verbis justitiæ & sanctitatis diversi gradus, minores & majores, ad quos connotandum sit, indicantur. Hinc etiam Homo, & auro comparatur & argento, & stanno, & ferro, secundum quem, quem attigit, virtutis perfectionisque suæ gradum. Aurum, argentum, stannum & ferrum, omnia purificantur igne, & amplius condecorantur: sic etiam quicquid spiritualis metalli in anima hominis est, purificatur igne tribulationis; & ad ærumnarum focum educitur in nobilius. Hoc igne fabricabitur Deus Judam & Jerusalem, Isaia cap. 1. v. 22. & 25 *Argentum tuum versum est in Scoriam: convertam manum meam ad te, & excoquam*

*Homo comparatur metallo.*

*Metal- lum per- ficitur igne; justus tribulati.*

D 4

ad one

ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum. Placuit Deo afflictionis igne illos excoquere, atque ita scoriam omni despumatos, abs stanno reducere ad argentum. Ponamus nunc justum, vel in infimo perfectione gradu, vel in medio, vel etiam supremo sanctitatis apice consistere: Si hæret in infimo, adhuc ferrum aut stannum est; si stat in medio, argentum, aurum si in supremo: si ferrum est, per ignem corrigeat adhærentem quamvis non observatam imperfectionum occultarum ferruginem: si stannum est, exspumabitur purius ab omni fragilitatis humanæ scoriam: si argentum, excandescet ad illustriorem virtutis nitorem: si aurum, per ignem probatus, à magnis ad majora procedet. In quocunque igitur justus versetur justitiæ suæ gradu, ad ordinem crucigerorum adigitur, vel, ut rubigo caveatur in ferro, vel, ut scoriam exhauriatur à stanno, vel, ut decus & valor addatur argento, vel denique, ut ab auro, ad lydium lapidem, præstantiæ specimen sumatur. Atque ita, quoscunque justos fors vocat ad ærumnas, citat ad ignes.

AGMEN JUSTO-  
RUM

in Cruce

PROBATORUM

CRUX

Justi Abelis

Gen. 4.

**P**rimus adest ab exordio Mundi, ex  
vix formata Adami familia, justus  
à sacrificii sui ignibus Abel: qui indè à  
fatuo superbi furoris livorisque igne  
correptus, à Cain impio Fratre, quam  
innocentissimè trucidatur, execran-  
dum inauditum scelus! Frater Fratrem  
trucidat! Non scitur nec locus, nec  
modus, quo Abel occisus fuerit: scrip-  
tura non affert aliud, quàm cum essent  
in agro, consurrexit Cain adversùs Fra-  
trem suum amplius de loco ac modo nil  
aperit scriptura. Juvat verò ex interpre-  
tum annotationibus excurrere paulò  
latius: ex horum concordia expositione,

D 5

te

te Caino strictim convenio: age, pergesne mentiri? an nescis ubi sit, Frater tuus? nunc ego te perpello: nescisne ubi sit: quem paulò ante invitasti, *exeamus foras, egrediamur in campum, transeamus in desertum*; ubi nefandum, quod meditabaris scelus, inobservatus patrare posses? tunc nescis, ubi Frater tuus crudeliter occisus, contummulatus jaceat? proterve? perfrictæ frontis! adhuc audes Domino, tanquam nimium quærenti, (*ubi est Frater tuus*) eum indignatione obloqui, & quasi sublannans, exprobrare, insultando [ *Nunquid ego sum Custos Fratris mei* ] ego natu major sum; ille secundus à me: ipsius est revereri me; ipsum curare, non est meum.

Quid blateras impiè, profligandus latro in Dominum? qui omniscius tibi impudens os obstruit, regerendo, *quid fecisti? sanguis Fratris tui Abel clamat ad me de terra*. Quid reclamast? Recordare, cum essetis in superficie agri, quod fratrem tuum exagitaveris adjurgio improbo: *videlicet, non esse*

esse judicem, neque justitiam amplius  
in sæculo isto hoc vestro secundo ( supe-  
rato enim mundi conditi sæculo pri-  
mo, agebant sæculi secundi annum  
trigesimum ) nec mercedem bonam  
pro justis, neque pœnam pro impiis,  
nec Dei misericordia creatum esse Mun-  
dum, nec Dei misericordia regi: eò quod  
suscepta sit oblatio Abelis cum benepla-  
cito; Caino non sit suscepta cum bene-  
placito. &c. Recole responsum ab Abele  
redditum: est Judex, est justitia, in  
sæculum nostrum aliud: est item merces  
pro bonis, & pœna pro impiis: miseri-  
cordia quoque Dei creatus est mundus,  
& misericordia Dei gubernatur. Quia  
verò meliora fuerunt opera mea tuis,  
suscepta est oblatio mea cum benepla-  
cito, tua autem non est suscepta. Cum-  
que ita duo contenderitis in agro,  
nonne tu Cain consurrexisti contra  
Abel, & occidisti eum? quomodo  
nescis ubi sit? Non te interrogabo,  
quo aut quali instrumento, fraticidi-  
um atrociter commiseris? optimè nosti,  
sed mendax diffiteberis. Consulam  
interpretes, qui ex variorum scripturis  
de-

deducunt patere, cum terra dicatur bibisse sanguinem Abel, eum non esse præfocatum, sed quopiam alio telo necatum: non mandibulâ, ut fingunt pictores, sed rusticâ furcâ, seu ligneâ, seu ferreâ, qualem manu secum sine suspitione, de more ferre solebat.

*Vox sanguinis clamat. Cædes hæc.*

**A**Trocem in conspectu Dei vindictam postulat. Habetur in Hebræo *vox sanguinum fratristui*. In plurali, eò quod Cain interficiendo fratrem, fuit reus sanguinis non solum unius Abelis, sed omnium etiam, quos Abel genuisset, si vixisset. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem Fratristui, de manu tua.* Infelix, vagus, profugus, omnibus odiosus, gemens ac tremens eris: sceleris pœna, conscientiae carnificina, per incertas vagantem sedes, exagitabunt te inhumanum, brutum pecus. Num adhuc negabit esse iudicem, esse pro malis pœnam in isto hoc secundo Orbis seculo; de quibus eum Fratre, in campo rixabatur? audio des-  
pera-

peratam ejulantis vocem: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Cui reponit Augustinus, mentiris Cain, major est Dei misericordia, quam omnium Peccatorum miseria. Abrumpo moras: redeundum est ad eventilandum exploratius invidiæ conceptæ tomitem.

Abel, & interfecit eum. cruentum verò fuisse latrocinium, & sanguinem fufum, objurgatio Caino facta satis declarare notatur: ait enim Dominus ad Cain, ubi est Abel Frater tuus? qui respondit; nescio; nùm custos Fratris mei sum ego? dixitque ad eum dominus, quid fecisti? vox sanguinis Fratris tui clamat ad me de terra. Adducta Causa, ob quam Abel Fratri invisus, ejusdem iram, odium, furorem, necemque ipsam subierit, alia non erat, quam quod ad pii, justi, ac recti Abelis munera respexerit Dominus; ad Cain verò & munera illius non respexerit. Cain agricola offerebat de frugibus terræ: Abel Pastor ovium, de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Discrimen

*Causa invidiæ*

nota:



*Discrimen inter oblata munera.*

*In sacrificiis duo observanda.*

notatur magnum inter duorum Fratrum oblata munera: Cain, ait Chrysofostomus in Genesim hom. 18. non erat sollicitus offerre Deo ex Fructibus suis meliora quæque: Abel verò selegerat ex optimis optima: ut præstantia, doni, sinceritatem cordis, puritatemque demonstraret affectus: quo ipse, Creatura, Deo Creatori suo subdita, à cuius liberali manu sciebat provenire cuncta, tantæque ejusdem majestati subjicienda noverat omnia, humillimum sacrificando homagium, Supremo Numine dignum præstare, amplissimè satagebat. Duo sunt in Sacrificio quovis attendenda: externum unum & visibile; internum alterum & invisibile: externum est victima, & dicata Sacrificio munera; ut erant à Cain, fructus terræ: & ab Abel primogenita gregis. Internum invisibile ac spirituale, est dispositio interior cordis, hominis sacrificantis affectus; quo se ut nihilum prosternt ante Dominum; adorat majestatem divinam, seseque sistit ad arbitrium Creatoris, ad instar pecudis, pro ejus hono-

honore veneratione & gloria immo-  
landam hostiam, & hic est verus Dei  
cultus; hæc recta pietas, hæc soli Deo  
debita servitus. Hinc Augustinus de  
Civitate Dei lib. 10. cap. 4. ait: *Sacri-  
ficium visibile invisibilis hujus Sacri-  
ficii Sacramentum*, id est, *Sacrum sig-  
num est*. Hac veritate posita, jam fa-  
cile est dijudicare; cur Deus rejecerit  
sacrificium Cain, & abelis gratiosè  
receperit. Apud Cain tam externum  
Sacrificii, quam internum condemna-  
batur meritò: externum, quoniam  
ille non obtulit Deo, nisi communia  
fructum, excellentiora servando sibi.  
Internum, quia scrutabatur Deus  
cor ipsius & se despiciatui haberi vide-  
bat, & Fratrem ejus odio. Contrà,  
sacrificium abelis totum erat acceptum  
Deo, tam pro victima exteriore;  
quando non nisi optima quæque ac se-  
lectissima obtulerat Domino: quam pro  
interiore, puritate ac simplicitate cor-  
dis, quod ferebatur profundo in Deum  
respectu; & fraterna in Cain charita-  
te, refertum erat. Ita, ut quamvis D.  
Gre-

Gre-

*Dominus  
respexit  
ad mune-  
ra Abelis  
igne de  
caelo misso*

Gregorius in Job, l. 22. cap. 8. dicat: Non  
Abel ex muneribus, sed ex Abel mu-  
nera placuerunt; dici etiam possit, &  
Abel ex muneribus, & ex Abel mune-  
ra placuisse. Atque ideo Dominus res-  
pexit ad Abel & munera ejus. Theodo-  
tion, ut S. Hieronymus notat, ex he-  
braico reddidit latinè: Dominus con-  
sumpsit igne, de caelo dilapso munera  
Abel, & non munera Cain. Est hoc u-  
sitatum Deo, ad ostendendum sibi gra-  
tum Sacrificium; ignem, quo victimae  
crementur, ab astris submittere: ita  
Salomonis, ita Eliæ, ita hic Abelis nos-  
tri Sacrificia, ignis è caelo missus admi-  
randa, venerandaque reddidit. Hinc  
tatum viam invenit, tam Deo accepti,  
tam pii, tam justi, tam innocen-  
tis integerrimique Centum &  
viginti novem annorum  
viri Abelis fors,  
nex est.

\* \*  
\*

CRUX

# CRUX

## Justi Abrahami.

Gen. 22.

SECUNDUS advenit Abraham, purum  
 Saurum, ad coticulam fidei sistendum.  
 Tentavit Deus Abraham, & dixit ad e-  
 um: Tolle filium tuum unigenitum,  
 quem diligis, Isaac; & vade in terram  
 visionis, atque ibi offeres eum in holo-  
 caustum super unum montium, quem  
 monstravero tibi. Extraordinarium  
 sanè, durum atque inauditum haëtenus  
 mandatum: tolle Filium tuum, tolle u-  
 nigenitum, tolle, quem intimè diligis,  
 divinitus promissum, miraculosè do-  
 natum, sollicitè sanctèque eductum;  
 posteritatis spem unicam, Isaacum. Er-  
 gone fieri potest, ut Deus Deo adver-  
 setur? concesserat istum gnatum per  
 grande miraculum, & quomodo nunc  
 eundem sibi vult immolari per immane  
 paricidium? est ille Filius radix, per  
 quam erat multiplicanda progenies, si-  
 cut stellæ coeli, & arenæ maris: & nunc  
 radicem excindi, Isaacum in holocau-  
 E stum

*Unigeni-  
 tus Isaac  
 immolari  
 jubetur.*

stum offerri, totumque sacro igne absumi, heu dolor! imperat? nùm hoc sit æstuate tribulationis igne, decernendum defero Genitoribus, suos unicos paternè diligentibus. Fidelis Abraham jam tum didicerat politicam Augustini, li. 16. c. 32. de civit. Dei: *Divino intonante præcepto, obediendum est, non disputandum.* Quare de nocte consurgens (crediderim facilè, sat ei somnus excusatus fuerit) abiit ad locum, quem præceperat ei Deus, ad terram visionis, sic dictam, quod in ea Dominus Abrahamo sese videndum exhibiturus esset: retinet hodie dum locus idem nomen, & hebraicè dicitur, Moria. Mons ille latè extenditur, & in plures diffunditur colles: in horum uno Templum & fortalicium Davidis fuit erectum: in alio, extra urbem posito, qui, quod caput Adami, ut aliqui volunt, ibi fuerit repertum, Calvaria cognominabatur, Iesus Christus fuit crucifixus: sustinetque D. Hieronymus, ex hebræorum traditionibus, in eodem hoc calvariæ colle, immolandum fuisse Isaacum. à Bersabea, quam inhabitabat Abraham, ad montem Mo-

Mons  
Moria

gia

ria, viginti circiter Milliaria erant con-  
 ficienda. Quid existimamus, quo animi  
 motu suscepit hoc iter Abraham? qui-  
 bus interdum noctuq; cogitationem in-  
 quietarum procellis, exagitatus fuerit,  
 quos turbulentos mœstitiæ fluctus fran-  
 gore necesse habuerit? ad gressus credo  
 singulos, fenserit novos mœroris acule-  
 os: quo montem accedebat propius, eò  
 cor premebatur acerbius, stringebatur  
 angustius. die tertio elevatis oculis vidit  
 locum procul. O triduum, ter rigidum!  
 ad minimum igitur quatrividuè, acer-  
 rimis animi angustiis amarè pressus, in-  
 cessit Abraham. Tulit signa holocausti,  
 & imposuit super Isaac Filium suum: ip-  
 se verò portabat in manibus ignem &  
 gladium: cumque duo, relictis ad Sarci  
 nas famulus pergerent simul; dixit Ha-  
 ac Patri suo: Pater mi: at ille respondit,  
 quid vis fili: ecce, inquit, ignis & ligna,  
 ubi est victima holocausti? dixit au-  
 tem Abraham, Deus providebit sibi  
 victimam holocausti, Fili mi. Perge-  
 bant ergo pariter, & venerunt ad locū,  
 quem ostenderat ei Deus: in quo ædifi-  
 cavit altare, & desuper ligna composuit.

*V. Etima  
 holocausti.*

O Cœlum! O Terra! alligatur Isaac;  
 ponitur in altare super struem ligno-  
 rum. Quid agis Isaac? nunquid ex ephe-  
 bis excessisti? nunquid triginta septem  
 annorum es? extra patriam potestatem  
 collocatus? cur te finis ligari? Num ad-  
 huc quæris, ubi victima? est in te;  
 est in Patre tuo duplicata: victima, pia  
 voluntas tua, victima, genitori tuo in-  
 natus paternus amor, victima, spes u-  
 nica promissæ posteritatis: hæc tria si-  
 mul & semel omnia hic immolantur.  
 Extenditque manum & arripuit gladi-  
 um, ut immolaret filium, hic obstupue-  
 re membra, steteruntque brachia: Ita-  
 ne genitor, natitui sanguine purpurabis  
 gladium? itane Parens, unigeniti cruore  
 consperges altare? sic cine desolatus sine  
 prole pater, quem diligebas unice Isaacum,  
 flammaram pabulum, æternitati  
 transmittes? heu miserum, orbatum u-  
 nigenito patrem! & ecce Angelus Dei  
 de Cœlo clamavit: Abraham! abra-  
 ham! non extendas manum tuam super  
 puerum: neque facias ei quidquam:  
 Nunc cognovi, quod times Deum: be-  
 nedicam tibi. O quali gaudio! quanto  
 sola.

solatio cœlestis hic genius cumulaverit  
Abrahamum simul & Isaacum ! quis sa-  
tis capiat placidam utriusque mentem ?  
novos amoris æstus ? tenerrimos Patris  
& Filii complexus ! jam tempestas omnis  
desæviit ; plena serenitas affulget ; tenta-  
men superatum est , aurum probatum ;  
Abraham fidelis , justus , timens Deum  
cognitus , Benedicitur.

## C R U X

### Justi Josephi Proregis

*Aegypti.*

*Gen. 37.*

**P**ergimus à Bersabeâ , in terram Cha-  
naam ad Patriarcham Jacob , Jsaaci  
filium : ingrediemur domum , quam ad  
stuporem , notabimus metalliferam.  
Iosephum unum , ex Filiis Jacob , im-  
primis dilectum , Jsaaci Nepotem , Pro-  
nepotem Abrahami , dum ad turbinem  
purificantis ignis exhibebimus , ceteros  
unà domesticos Patrem & Fratres , ad  
furnum tribulationis campanicum , suo

E 3

quem



quemque modo ceu ferrum, ceu stannum; ceu argentum aut aurum, vel probatione illustrari, vel sedimenta & feces æris excoquere, adverteamus.

*Ioseph singulariter a Patre dilectus, invidiam Fratrum.*

Jacob eò quod in senectute, anno ætatis suæ nonagesimo primo, genuit Ioseph, diligebat eum super omnes filios suos, fecitque ei tunicam polymitam. videntes autem fratres ejus, quod à Patre plus cunctis Filiis amaretur: *Oderunt eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui: Gen. 37.* Ecce ad ipsa propè Iosephi incunabula excitatur invidentium ignis, & clibanus aptatur pro excoquenda Scoria. Filius accrescens Ioseph, velut Rosa candida inter Fratrum falsorum spinas, ad annum usque decimum sextum, ægrè admodum emergit: quot numerabat Fratres, tot sustentabat annulos, quibus dum fraternè verba promebat blanda ac mellea; retrudebantur durè aspera & fellea, nec præ livore posterantiefferre pacifica. Verè Fili mi accrescens Ioseph, te tu Fratres per tribulationis ardorem, ab prima ætatis Scoria, exactè despuant. Sed quid audio? etiam Ioseph cona-

conatur æruginem nescio quam, à quibusdam suorum Fratrum contractam, ne ea exedantur, delimare. Erubuit candens Rosa, ad spinarum, quas inter virtutis odorem spirabat, suorum Fratrum improbum facinus: *accusavitque Fratres suos apud Patrem crimine pessimo.* Videtur insimulatio hæc Filios Balæ & Zelphæ, uxorem Patris sui, quibuscum tunc pascebat gregem, potissimum tetigisse. Interpretum plures hic multum laborant, ut quale demum fuerit crimen illud, quod ex modo, quo exponitur, contra morum honestatem horrendum fuisse arguunt, deprehendere possint. Refragatur his nec absque ratione recens Author, & eruditione & sapientia pollens, sentitque, dum audimus solutiorem vivendi rationem, moresque huiusmodi intemperantes, quibus ipsa Orbis capita futureque electæ gentis Patriarchæ, depravati notantur, oportere satius descendere in humilitatem; quam cupida nimis curiositate, conjecturisque semper incertis errorique obnoxius, ea quæ & scriptura

*Fratres  
accusat  
crimine.*

*Narrat  
somnia.*

subticere, & Spiritus sanctus opera reconditaque tenere in aluit, consequi velle. Hoc indubitatum est; delatum crimen, visaque & incaute narrata fratribus somnia, majoris invidiae odiique fomitem ministrasse: quosque antea non nihil sopitos premebant ignes, jam habituleonum turgidi, luculentas proflabant iras. Dixit ad eos: audite somnium meum, quod vidi: putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt Fratres: nunquid rex noster eris? aut subiciemur conditioni tuae? aliud quoque vidit somnium, quod narrans Fratribus ait: vidi per somnium quasi Solem & Lunam, & stellas undecim adorare me. Increpavit eum Pater suus & dixit: quid tibi vult hoc somnium, quod vidisti? num ego & mater tua, & Fratres tui adorabimus te super Terram? invidebant ei igitur Fratres sui; Pater vero rem tacitus considerabat.

Candida mens Iosephi, & experientiae dolique expers ingenua Juventus, ab

ab hac sua visorum relatione, sinistros in suorum animis affectuum motus excitari posse, eum suspicari non sinebant. Impellebatur verò ad ea referenda sensu quodam vehementi, qualem nocturnæ revelationes divinæ, longè præ communibus inanibusque somniis vivaciorē aspirare; & Augustino à Monica Matre sua sic edocto, teste, in evigilantium mentibus altè impressum, speciem relinquere consueverunt.

Jacob quamvis ad sistendum, quod Josepho apud Fratres metuebat, gravioris invidiæ incrementum, prudenter increpasset eum; rem tamen tacitus considerabat profundius: suspicabatur enim verò hæc somnia, Dei vocem esse & futurorum omina; quibus placeret Divinæ Bonitati pronunciare sibi; quod huic Filium suum, cujus virtutem indolemque probatissimam parens ipse admirabatur, supra reliquos omnes longius elevatum, ad magna in hoc Mundo administranda, arcano suo consilio, deducere decrevisset. Interim Joseph reverendam Patris correctionem, filiali observantia humillimè suscepit; ac ve-

*Jacob  
somnia  
suspiciatur  
futuro-  
rum præ-  
saga.*

luti parvulæ sibi portandæ cruculæ ha-  
meros patienter supposuit.

*Ioseph  
mittitur  
ad Fratres*

Cum jam Fratres in pascendis gregibus morarentur in Sichem, mittitur ad eos, *ut videat, si cuncta prospera sint.*

O quid agis Jacob! in quale discrimen conjicis Iosephum? si non videret eos, nec videretur ab eis, cuncta forent prospera: immittis agnum in fauces luporum: vale Ioseph; dum mitteris, amitteris Ioseph.

Perrexit post Fratres suos & invenit eos, non tam Fratres, quàm latrones, quàm fratricidas, quàm sanguisugas, *qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere:* & mutuò loquebantur; ecce somniator venit, venite occidamus eum, dicemusque fera pessima devoravit eum, & tunc apparebit, quid illi profint somnia sua? dum sic Zelotypia accensi, meris omnes ardent odiis, in uno Ruben sanguis fraternus incalescit, ebullitque ad commiserationem: nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: non interficiatis animum ejus, nec effundatis sanguinem, sed projicite eum

eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusq; vestras servate innoxias, hoc autem dicebat, solens eripere eum de manibus eorum, & reddere Patri suo. O Ruben! hæc tua pietas in Patrem, ne orbatus dilectissimo Filio conficiatur mœrore; & in germanum Fratrem tuum, ne crudeli letho profundat animam; quantum tibi tandem, quamque amplum conciliaffet paternæ benedictionis augmentum? nisi, quod ascendisti cubile Patris tui, & maculatum ejus stratum, benedictiones dispertientem retardarent.

Cofestina igitur pervenit ad Fratres suos, nudaverunt eum tunica talari & polymita, *miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.*

*Immittitur in cisternam.*

Joseph! hoc non somniaveras: jam de te conclamatum videtur: fame ac inedia enecandus es: quam dein jejuna tibi somnia finges! Polymita sua tunica, ejus flos multicolor Fratrem oculos continuo compungebat, spoliatus est, & inferiore quoque exutus talari, quid indumenti boni retinet? erat fortasse aliquod vanitatis retrimentum in istis spumeis vestitus coloribus,

hac tribulationis flamma exsiccandum  
 O Deum bonum! quæ mens esse poterat  
 Josepho? reperire sese in horridâ soli-  
 tudine; in profunda cisterna, undè e-  
 mergendi spes nulla, vestibus nudatum  
 necessarijs omnibus destitutum, Patri  
 solatio privatum; ab omni humana ope  
 planè remotum. O quàm in sicca ar-  
 daque hac cisterna, ad adolescentiæ  
 stannum, ab omni scoria, ad purum  
 excoquendum, ardet fornax accensa  
 nimis. Subduxerat se Ruben primus  
 Josephi assertor & advocatus; nescio  
 quò? forsan ut exequeretur, quod inten-  
 derat & Josephum è cisterna extractum,  
 clam redderet Patri. Interim sedentes  
 reliqui, ut comederent panem, viderunt  
 Ismaëlitas viatores: His visis incipit  
 Josepho patrocinari Judas; & dixit:  
 quid nobis prodest, si occiderimus fra-  
 trem nostrum? & celaverimus sangui-  
 nem ipsius? melius est, ut venundetur  
 Ismaëlitis, & manus nostræ non pollu-  
 antur, frater enim & caro nostra est. Ac-  
 quieverunt fratres sermonibus illius,  
 & prætereuntibus Madianitis nego-  
 tiatoribus, extrahentes eum de  
 cister-

enditur  
 rman  
 ipium.

cisterna, vendiderunt eum Ismaëlitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum.

Notat Naturæ indagator Plinius, eandem materiam aliud gignere primis ignibus, aliud secundis, aliud tertijs. Josephus noster ab ineunte ætate plumbago, rudis metallica terra, fratrum suorum æstuosa invidia, velut ignibus primis gignitur domi æs purius, rurali verò in qua modò versamur, calamitate, (quæ quàm gravis acciderit, loquuntur fratres ipsi Gen. 62. videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus) dum cultu verficulore nudatur; dumq; vel de vita servanda, vel morte inferenda dubiè concertatur; velut secundis ignibus tostus, acriterque adustus in splendidum stannum, dejicitur in cisternam, in qua tanquam in todinâ argento fæcundâ, cordis angore, amarissimi animi luctu ac mœrore, desolatione horrida ac ineplicabili, velut tertijs ignibus ter purificatus, perficitur mutaturque in argentum, argenteos viginti: quibus ex cisterna extractus, æstimatur, venditur.

emi-



emittitur solvitur, Argenteus Ioseph, & ut  
mancipium abducitur in Ægyptum.

*Tunica  
Ioseph tin-  
gitur san-  
guine hæ-  
de.*

Reversus Ruben ad cisternam, pro  
dubio, jam nil minus cogitantibus fra-  
tribus, Iosephum educturus, non invenit  
puerum: & scissis vestibus pergens ad  
Fratres suos ait: puer non comparet, &  
ego quò ibo? quò ibis? ibis ad celandum  
Fratrum tuorum scelus nefandum, una  
cum illis ad tunicam Iosephi in sangui-  
ne hædi tingendam; ibis ad mittendos  
qui ferant ad Patrem & dicant: hanc in-  
venimus, vide utrum tunica Filii tu-  
sit? an non? Proh perfidos Fratri Fra-  
tres! subdolos Parenti Filios! vide utrum  
sit, an non? quid subjicitis, an non? quæ-  
verò vobis, rerum gestarum ignaris, de  
inventa tunica, dubium remanere po-  
tuerit: quam cum agnovisset Pater, ait:  
Tunica Filii mei est, fera pessima com-  
edit eum: bestia devoravit Ioseph.  
Jam discite quales non inemini & sitis,  
non Fratres, non Filii, sed feræ pessimæ,  
Bestiæ: Scissisque vestibus, indutus est  
cilicio, lugens Filium suum multò tem-  
pore: congregatis autem cunctis liberis  
ejus, ut lenirent dolorem Patris, noluit  
confo-

*Agnosci-  
tur à Pa-  
tre.*

consolationem accipere; sed ait: descen-  
dam ad Filium meum lugens in infer-  
num, & perseveravit in fletu.

Quis non collacrymaret tam feram,  
tamque sævam, centum & septem an-  
norum senis, calamitatem: premitur, si  
non opprimitur, mœrore, non nisi mor-  
te domando. Immitia fata nostra, nec  
justo quantumcunque seni norunt par-  
cere: decrepitum Jacob, vetus & expoli-  
tum aurum, in quo nullum recremen-  
tum; ad consummatæ tamen virtutis  
specimen denuò edendum, etiam in af-  
flicta per semetipsam senectute, Hera-  
clio lapidi affruare non cessabunt. Con-  
suetudo antiqua, quæ postmodum a-  
pud Judæos transit in ordinariam, ob-  
tinebat, ut in adversitate inopinata ac  
graviore, scissis vestibus induerentur  
cilicio, id est, vestimenti ex pilis capra-  
rum confecto: in quo nunc etiam intus  
& extrà afflictissimus Jacob, luget fi-  
lium suum amarissimis lacrymis, fle-  
tuque continuo inconsolabili. Interea  
Madianitæ vendiderunt Iosephum in  
Ægypto, Putiphari Eunucho Pharao-  
nis magistrato militum, prætorix co-  
hortis

*Ioseph  
Putiphari  
ris servus*

*Significa-  
tio Eunuch-  
chi.*

hortis Præfecto, exercitijs Principum.  
Nomen eunuchi, quod hic tribuitur  
Putiphari, conjugato utique, viro integro,  
non est accipiendum in vulgari  
aliàs significatione, pro castrato aut  
spadone, sed est nomen honoris, quod  
illis, ad quos digniora in Principum at-  
tulis munia deferrebantur, impertiebatur.  
mutuatam videtur à Græcis, quibus sig-  
nificat custodem cubiculi Regis aut Re-  
ginæ, quales nos hodie dum, honorari-  
os Regum Principumque Cubicularios  
nuncupare consuevimus, esto fuerint  
quandoque plures, Eunuchi re ipsa ve-  
ri, hujusmodi officiis honoribusque per-  
functi. Ipsi etiam Satrapæ, & Provinci-  
arum Governatores in Oriente hoc ho-  
noris nomine insigniri sese gloriaban-  
tur.

*Uxor Pu-  
tipharis  
deperit  
Josephum.*

Post decem aut undecim ferme an-  
nos, quibus serviens Putiphari Joseph,  
multiplicaverat tam in ædibus, quam  
in agris cunctam ejus substantiam, in-  
jecit Domina sua oculos in eum, pul-  
chrâ facie; & decorum aspectu, anno-  
rum circiter viginti septem; & ait: dormi  
mecum: hujusmodi verbis per singu-  
los

los dies mulier molesta erat adolescenti:  
 & ille recusabat stuprum, nequaquam  
 acquiescens operi nefario, dixit ad eum, *Ioseph ve-*  
 ecce Dominus meus omnibus mihi tra- *pudiat*  
 ditis, ignorat quid habeat in domo sua: *scelestam.*  
 nec quidquam est, quod non in mea sit  
 potestate, vel non tradiderit mihi præ-  
 ter te, quæ uxor ejus es: quomodo ego  
 possum hoc malum facere? & peccare  
 in Deum meum? accidit autem quadam  
 die, ut intraret Ioseph in domum, &  
 operis quippiam absque arbitris faceret;  
 & illa apprehensa lacinia vestimenti e-  
 jus, diceret; dormi mecum qui relicto  
 in manu ejus pallio fugit & egressus est  
 foras. Cumque vidisset mulier se esse  
 contemptam, vocavit ad se homines  
 domûs suæ & ait ad eos: en introduxit  
 virum Hebræum, ut illuderet nobis: in-  
 gressus est ad me, ut coiret mecum: cum-  
 que ego succlamassem, reliquit pallium,  
 quod tenebam, & fugit foras: in argu-  
 mentum ergo fidei retentum pallium  
 ostendit marito revertenti domum; &  
 ait. ingressus est ad me servus Hebræus,  
 quem adduxisti, ut illuderet mihi: cum-  
 que audisset me clamare, reliquit pal-  
 lium

F

lium



De Fato Hominis

lium, quod tenebam, & fugit foras. Hi auditis Dominus, & nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde tradiditq; Joseph in carcerem, ubi vincti Regis custodiebantur, & erat ibi clausus

*Falso erimine in carcerantur.*

Sic bonus Joseph, Justus Joseph, Innocens Joseph, fidelis Joseph, Castus Joseph, mancipatur carceri: nova fors dura factorum. Nunquid purum, candidum, virginicum argentum est Ioseph? quid hec cysmatis nova hæc tribulationis fornax in te excoquet? intelligo: his ultimis ignibus in aurum sublevaberis.

*Domus Jacob magni estimanda.*

Ad verè æstimandam Iosephi virtutem & patientiam, oporteret nos tantisper personam ejus induere, ac in animo nobiscum, non nihil delicatè ad sensum doloris considerare, quid illud, quod ipsi acciderit? undè dilapsus? ad quæ tot annorum turbulento spatio redactus sit? domus Jacob erat dives & potens, quales & Isaac, Patris, & Abrahami ejus. Avi semper extiterunt spectatæ & magnæ: eo in splendore & existimatione apud omnes, ut Supremi Reges, ac Principes cum iis fœdera sancire posse, felicitati suæ tribuerent. Nec miretur quis, cum

Jacob

Jacob vir fuerit adeo clarus & illustris, quomodo nihilominus, tanto loco nati, ejus Filii, gregem pascere ipsimet? tali enim, id temporis perhonorata occupatione distinebantur summi quique Saul Rex Israël. 1. Regnum c. 11. veniebat sequens boves de agro, ad auditum populi flectum ob tyrannidem Nabas ammonitæ; mox jubet concurrere populum; recensuit, eum & stetit in fronte trecentorum millium virorum, & percussit Ammon: heri bubulcus, hodie Imperator exercitus. Ioseph ergo tam ampla domo natus, à Patre tenerrimè dilectus; fratres experitur capitales hostes, qui quominus ei vitam sustulerint, gratiam se magnam præstitisse rati, iniquissimo mercatu alienigenis illum divendunt; atque ita tractu unico, libertatem adimunt, Patria ejiciunt, domo excludunt, Patre orbant, omnibusque in Mundo charis exspoliant: ex opulento inopem; ex Domino servum, ex libero mancipium impia metamorphosi conficiunt. Quid quæso ista ætate erat esse mancipium? nisi infimæ fortunæ consortem

*Quid sit  
mancipium.*

agere cum vilissimis sordidissimisque  
 terræ homuncionibus, quorum abjecta  
 conditio jumentorum gradu haud supe-  
 rior digniorve statuebatur. Unum ser-  
 vatur discrimen; jumentum à labore re-  
 ducitur in stabulum ad præsepe & pabu-  
 lum: Joseph à laboriosâ œconomia Pu-  
 tipharis, abstrahitur in carcerem ad vine-  
 cula, ad compedes, martyr castitatis;  
 talis hic à S. Ambrosio piè declaratur.  
 Afflictionem cordis ejus & doloris mag-  
 nitudinem notat Spiritus Sanctus, ut do-  
 cet Augustinus in Psalmum 104. *Humi-  
 lia verunt in compedibus pedes ejus fer-  
 rum pertransit animam ejus.* Stupe-  
 quis merito, inquit S. Chryostomus,  
 Deum; quod sinat hominem adeò just-  
 um, tam duriter haberi; triumphare vi-  
 tia, virtutem deprimi, castitatem puni-  
 ri, coronari impudentiam. Sed inquit  
 idem, sola est sapientia æterna, quæ satis  
 capiat admirabilem illam œconomiam,  
 quâ Electos suos ducit & perficit Deus  
 Joseph in carcere, in catenis, in compe-  
 dibus, jam in aurem formatus, verfabatur  
 nunc in manu Dei, tanquam adamas  
 in officina artificis, qui multiplicatis fi-  
 ne

ne numero malleorum ictibus, minimè lædere, nocere, aut offuscare intendit, sed vel maximè gemmam expolire, pretiosissimamque procudere, sedulò allaborat.

Accidit porro, ut Præpositis Pincernarum, & Pistorum magister mitterentur in eundè carcerem in quo erat vinc-tus & Joseph aliquantulum temporis fluxerat, quandò visa noctu somnia, manè ambobus solitò tristioribus, cuiq; congruè interpretatas est Joseph: & rogat Pincernam; tantùm memento mei cū bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere, quia hic innocens in lucum missus sum. Die tertio, qui natalitius Pharaonis erat, restituitur ut Joseph prædixerat, in locum suum Princernarum Præfectus: & tamen succedentibus prosperis, oblitus est sui interpretis.

Post duos annos, cum non esset ex omnibus Ægypti conjectoribus, cunctisq; sapientibus qui visum à Pharaone duplex somnium interpretaretur; tunc demum reminiscens pincernarum Magister

*Pincerna  
Pharaonis  
& Pistorum  
Magistro in-  
ductis in  
eundem  
carcerem  
interpre-  
tatur Jo-  
seph som-  
nia.*

*Joseph e-  
ductus ex  
carcere,  
explanat  
Pharaoni  
visa.*



gister ait: confiteor peccatum meum  
est in carcere puer Hebraeus, cui nar-  
rantes somnia: audivimus quidquid po-  
stea rei probavit eventus. Protinus ad  
regis imperium, eductum de carcere Jo-  
seph totonderunt, ac veste mutatâ ob-  
tulerunt ei. Cui ille ait: vidi somnia, nec  
est qui edisserat: quæ audiui te sapientis-  
sime conijcere. Respondit Joseph, abs-  
que me Deus respondebit prospera Pha-  
raoni. Narravit ergo Pharaon quod viderat.  
Respondit Joseph; somnium Regis  
unum est: quæ facturus est Deus, ostendit  
Pharaoni: Septem boves pulchræ, &  
septem spicæ plenæ, septem ubertatis  
anni sunt, eandemque vim somnij com-  
prehendunt: septem quoq; boves tenues  
atq; macilentæ, quæ ascenderunt post  
eas; & septem spicæ tenues, & vento-  
urente percussæ; septem anni venturæ  
sunt famis: qui hoc ordine complebun-  
tur. Quod autem vidisti secundò ad ean-  
dem rem pertinens somnium, firmitatis  
indicium est. Nunc ergo provideat Rex  
virum sapientem & industrium, & præ-  
ficiat eum terræ Ægypti, qui quintam  
partem fructuum per septem annos fer-  
tilitatis congreget in horrea, & omne  
fru-

frumentuē sub potestate Pharaonis con-  
 datur, serveturq; in urbibus; & præpare-  
 tur futuræ septem annorum fami, quæ  
 oppressura est Ægyptum, & non con-  
 sumetur terra inopiâ. Placuit Pharaoni,  
 consilium, & cunctis ministris ejus. Dix-  
 it ergo ad Joseph : Quia ostendit tibi  
 deus omnia, quæ locutus est : tu eris su-  
 per domum meam; & ad tui oris imperi-  
 um cunctus populus obediet: uno tantū  
 regni folio te præcedam dixitq; rursus  
 Pharaon ad Joseph: ecce constitui te super  
 universam terram Ægypti: tulitq; an-  
 nulum de manu suâ, & dedit eum in ma-  
 nu ebyssinas: vestivitq; eum stola, & col-  
 lo torquē aureum circumposuit teci-  
 tum esse scirent universæ terræ Ægypti

*Proclama-  
 tur Pro-  
 rex Æg-  
 ypti.*

*Admiran-  
 da divina  
 Providen-  
 tia, qua  
 evertit  
 maligni-  
 tatem pec-  
 cantium,  
 contra ip-  
 sorum ve-*

*luntatem  
 in majus  
 bonum,  
 electorum  
 decreto-  
 rumque  
 aterna-  
 rum si-  
 gna:*

Hic jam Deus ipse recondita Provi-  
 dentia suæ mysteria pandit : videmus  
 enim, quemadmodum arte pictoria ad-  
 hibentur atricolores, & obscuræ um-  
 bræ; ad illustrius educendū id quod vel  
 maximè eminere cupimus ; ita sa-  
 pientiam æternam in effingendis ad  
 imaginem Christi sanctis suis ; ipsam

flagitiosissimorum hominum effusam  
malitiam, tanquam atram nubem, ad  
suos excellentius illustrandos, sublimi-  
usque evehendos, cogere ac inflectere  
nosse. Adeoque Deus est, ut inquit Au-  
gustinus; *pravarum voluntatum, non  
creator, sed ordinator: ut hinc etiam,  
quod faciunt mali contra voluntatem  
Dei, inde non impleatur nisi voluntas  
Dei.* Hanc veritatem credere astrin-  
gimur fide: quam in Josepho & Fratri-  
bus ejus palpandum videndamque præ-  
bet scriptura sacra. Prædixerat Deus per  
visa somnia Iosephum quandoque fore  
magnum: hoc fratres oderant, eum-  
que reducunt ad extremam miseriam:  
qua ipsam Deus utitur tanquam funda-  
mento excelsius erigendæ ejus fortunæ.  
Indicaverat porrò Deus, Iosephum ali-  
quando ab ipsis adorandum, eosque il-  
li subjiciendos: contra conspirant om-  
nes; & ad vaticinii hujus veritatem eli-  
dendam; Iosephum, repudiatum suum  
Dominum, libertate privant, servituti  
addicunt, & jam mancipium, in peco-  
rum turmam, quodammodo redigunt:  
Hanc ipsam Deus infimam servitutis  
sortem

sortem, tanquam primum Domini gradū disposuit per quem Joseph conscenderet ad supremum dignitatis apicē illudq; gloriæ culmen, in quo eum adorare, seque servos subicere non tardarent Fratres. Est hic proprius divinitatis character; qui una ex parte spectandum exhibet, Creatoris inconcussam providentiam ex altera verò infirma creaturarum contra Deum consilia. Quid dignius Deo? quidve aptius ad demonstrandum jus ejus supremum, & absolutum in omnes imperium? quam hominibus contra homines, & pro hominibus, uti; eosque per illos ipsos nisus & conatus, quibus omni studio, divinæ dispositioni contravenire contendunt, ad universam suam voluntatem ad amissim exequendam, volentes nolentes, scientes ignorantesve pro libitu adhibere. Quis nondum videat, quod unus Deus sit, qui in terris faciat omnia: adeoque incassum turbetur quis fortuitis hujus vitæ casibus: à Deo sunt, si non imperati, certè permissi, immissi & in nos directi sentiebat ita Ioseph, dum se manifestans Fratribus agebat:

E s

non

non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum eadem hac cognitionis sublimitate, rarissimæque virtutis præstantia eximius David, meritò suspiciendus est, 2. reg. 16. Semei maledicebat mittebatque lapides contra David, & contra universos servos Regis: dicebat Abisai Regi: quare maledicentis his mortuus Domino meo Regi vadam & amputabo caput ejus: & ait Rex: quid mihi & vobis est? dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis est, qui audiat dicere, quare sic fecerit dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini; si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum, pro maledictione hac hodierna.

Hoc demum est ritè Deum suum agnoscere, revereri ac colere: ipsa hæc est, si quæ datur inter mortales, summa sinceraque pietas, illa verè debita Supremo Numini observantia: hæc una profunda humilitas, hæc solida virtus, infernum nescit, terram post se relinquit, superat passim homines; conec-

rat

tat cum Angelis ; transcendit Cœlum ,  
ipsum Dei Sanctuarium penetrat , arca-  
nis sese committit , sursum deorsum  
volvantur omnia , Cælum & Terra ;  
ipsa sui secuta , arbitrio Dei dedita , im-  
pavidè conquiescit , vix impar Beatis .

Talis nunc exoritur Joseph , post Ca-  
lamitatum suarum nubila , Phœbus :  
qui squalerat in carcere , suâ cruce ; jam  
fulget in Regia , splendissima luce : hir-  
sutus heri capillis , cæsariæque intonsus ;  
hodie comis flore præcinctis , graditur  
ut sponsus : cui dudum pro indumento  
vix suppetebant levidensia pannicula-  
ria ; is jam auro virgata excolitur at-  
talica : pauperior Iro ; fit ditior Cræso :  
nuper mancipium ; nunc Regni delici-  
um : insimulatus delicti , proclamatur  
Prorex Ægypti . Hæc sanè omnia su-  
pràm odum obstupescenda , non præ-  
stitit fors fortuna , sed prima causarum  
Causa , divina ab omni æternitate fluens  
Providentia sempiterna : à qua Iosepho  
hæc præstituta fuerunt fata .

CRUX

# CRUX

Fratrum Josephi.

Gen. 42.

**I**N signem Fratrum horum tribulationem, velut prioris scenæ Catastrophen subjungere, visum fuit. Reducuntur non immeritò ad Classem justorum, quoniam eos jam pridem iniquitatum suarum pœnituisse, ipsimet confitentur. dum Ruben imprimis dolens lamentatur; puer non comparet, & ego quo ibo? ac cuncti simul congregati, omni meliore modo conabantur lenire dolorem Patris. Constituent illi, tanquam capita, duodecim tribus Israël: Bases erunt populi à Deo electi: condecet, ut expoliantur. Iosephum antè à Fratribus abundè jactatum, mutatis dextrè clypeis, jam vicissim illos, eruditè exagitantem, paulisper spectabimus: ad incudem & malleum eos trahet; seu ferrum fuerint, seu stannum, absumptis, quo ad fieri poterit, paleis, in argentum conflare studebit.

Tran-

Transactis septem ubertatis annis ; *Mittun-*  
 in universo Orbe fames prævaluit ; om- *tur in*  
 nesque Provinciæ veniebant in Ægyp- *Ægyp-*  
 tum , ut emerent Escas , & malum ino- *tum.*  
 piæ temperarent. Itaque etiam Fratres  
 Ioseph decem , Benjamin domi retento *Durius*  
 à Jacob , ingressi sunt in terram Ægyp- *excipiuntur.*  
 ti ut emerent frumenta : ad nutum au-  
 tem Iosephi omnia populis vendeban-  
 tur. *Cumque adorassent eum Fratres*  
*sui* , & agnovisset , quasi ad alienos du-  
 riùs loquebatur ; interrogans eos : unde  
 venistis ? qui responderunt de terra  
 Chanaan , ut emamus victui necessaria :  
 & tamen Fratres ipse cognoscens , non  
 est cognitus ab eis : recordatusque som-  
 niorum , quæ aliquando viderat , ait ad  
 eos : exploratores estis : ut videatis in-  
 firmiora terræ venistis. Qui dixerunt  
 non est ita Domine , sed servi tui vene-  
 runt ut emerent cibos : omnes filii unius  
 viri sumus : pacifici venimus ; ne quid-  
 quam famuli tui machinantur mali.  
 Quibus ille respondit ; aliter est : immuni-  
 ta terræ hujus considerare venistis. At  
 illi , duodecim , inquit , servi tui Fratres  
 sumus , Filii viri unius in terra Chana-  
 an :



an: minimus cum Patre nostro est: alius non est super. Hoc est, ait, quod locutus sum, exploratores estis: jam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Pharaonis, non egrediemini hinc, donec veniat Frater vester minimus: mittere ex vobis unum, & adducat eum; vos autem eritis in vinculis, donec probentur, quæ dixistis; utrum vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis vos: tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus.

*Trahuntur in Carcerem*

Nunc itaque carcere, velut in clybano tribulationis conclusi, primo igne tanguntur. Haud difficilè fuerit tridui spatio, ex galena, Proregis sermone durius pungente sat præparata, elicere æs acutum, translucidumque metallum. O Fratres! iste vobis inexpectatus carcer, cisterna est: quam non Prorex aliquis aut Hominum ullus; sed justus Deus, vindex malorum, ad frugem vestram adeò exsiccavit. Mirabitur quis fortè, quomodo Ioseph non ignorans fraternum affectum, quo Ruben conatus fuerat, è manibus Fratrum, ipsam liberare & reddere Patri: nihilominus

ominus cum ceteris simul cum molestia  
 carceris affligere, non dubitaverit? ve-  
 rum quidem est, quod Ruben intenderet  
 salvare Josephum; sed dubium manet,  
 an fecerit omne id, quod in ejus-  
 modi gravissimo casu & vitæ, & liberta-  
 tis, debita in Fratrem pietas, omninò  
 exigebat: ita sæpè evenit, quando quis  
 non est, nisi semi justus; facit is qui-  
 dem aliquid pro Deo & justitia, si-  
 cut Pilatus pro Christo, sed non facit  
 satis.

Quod sacram Josephi attestationem *Juramentum*  
 concernit, qua per salutem Pharaonis *Josephi.*  
 jurat Fratribus: vos eritis in vinculis  
 donec probentur quæ dixistis, utrùm  
 vera an falsa sint: sciendum imprimis  
 hocce juramentum fuisse apud Ægypti-  
 os longè sacratissimum; quod violasse  
 scelus erat morte piandum, consequitur  
 proindè non defuturum Josephum, quin  
 omnia fratrum dicta ad trutinam re-  
 rocet, ubi vereor inter malleum & invu-  
 dem angustabuntur desperantes saluti.  
 O quàm incautè, dictum! *alius non est*  
*super.* Quomodo? quando hoc pro-  
 bari poterit? *alius non est super?*  
 imò

imò verò nunc est super, si unquam fuerit super : est super Domum Pharaonis, est super cunctum populum, est super universam terram Ægypti. Sed hæc relinquo : discent porrò fratres, alium ad huc esto super & dictorum factorumque veniam, in terram prostrati, deprecabuntur quàm humillimi.

*Simeon  
ligatus  
retinetur  
in carcere,  
reliqui  
remittuntur  
domum.*

Die tertio educti de carcere, ait facite quæ dixi; & vivetis : Deum enim timeo, frater vester unus ligetur in carcere : vos autem abite, & ferte frumenta, quæ emistis in domos vestras : & fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, & non moriamini. Tollentque Simeon & ligans, illis præsentibus. Locuti sunt ad invicem : merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco venit super nos ista tribulatio : & Ruben ait : nunquid non dixi vobis ? nolite peccare in puerum, & non audistis me : eni sanguis ejus exquiritur. Nesciebant autem quòd intelligeret Joseph, eò quòd per inter-

pre-

pretem loqueretur ad eos : avertitque se parumper & flevit : & reversus locutus est ad eos ; jussit ministris , ut imple-  
rent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam & illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt apertoque unus sacco, contemplatus pecuniam, dixit fratribus, & obstupefacti turbatique mutuò dixerunt : quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus ? veneruntque ad Jacob Patrem suam & nar-  
raverunt ei omnia, quæ accidissent sibi. Cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias : exterritisque simul omnibus dixit Pater Jacob: absque liberis me esse fecistis : Joseph non est super, simeon tene-  
tur in vinculis, & Benjamin auferetis : in me hæc omnia mala reciderunt. Jacob afflictissimus Parens continuis involvitur filiorum casibus ; meritò deplorandus, nisi à Deo, inde amplius foret beandus.

Joseph ex fratribus ligatum captivumque retinet simeonem ; non fortè fortuito, sed divino disponente. Numi-  
*Cur Simeon præ aliis affligatur ?*

G

ne. gatur ?

ne. Indigebat Simeon indolis asperioris politura quadam singulari. Præfuera ipse conspirationi contra Joseph, cuius anxie deprecanti, ne intruderetur in cisternam, ne vè venderetur in æncipum pro ceteris durior accidit; verè prima potissimaq; malorum omnium causa. Ipse secundò genitus, post Ruben primogenitū, ceteris natu major, dum modo se conjunxisset Ruben cupiens Josephum salvare ( cui vel propter nunc meritò parcitur ) cum & Juda Josepho faveret, facili negotio reliquorum violentiam infregissent, salvum conseruassent Josephum. Sed Simeon iras spirabat & odia: æquissimum itaq; est, ut cui major hæret culpa, eidem grauior adhæreat pœna, atque ideò simeoni protrahatur miseria.

Consumptis cibis tulerunt munera & pecuniam duplicem, & Benjamin quæ ægrè admodum dimittebat Jacob, descenderuntque iterum in Ægyptum & steterunt coram Joseph: obtuleruntque ei munera, & adorauerunt proni in terram. At ille clementer resalutatis eis; interrogavit, saluusne est pater ve-

*Simeon  
descen-  
dunt in  
Ægyptum.*

*Joseph  
clementer  
excipit;  
& collo-  
quitur.*

ster senex de quo dixeratis mihi? adhuc vivit! qui responderunt: sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit: & incurvati adoraverunt eum. Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, & ait: iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? & rursus, Deus, inquit, misereatur tui, fili mi: festinavitque quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, & erumpebant lacrymæ, & introiens cubiculum, flevit: rursusque lotâ facie egressus, continuit se, & ait ponite panes & pranderunt, biberuntque & inebriati, quod est hebraicâ phrasi, recreati sunt, cum eo.

Præcepit autem Joseph dispensatori domus suæ; imple saccos eorû frumento, quantum possunt capere: & pone pecuniâ singulorum in summitate sacci: scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit tritici, pone in ore sacci junioris, factumque est ita.

*Prandent simul.*

Orto mane dimissi sunt cû asinis suis jamque urbem exierant & processerant paululum; tunc Joseph accersito dispensatore domûs: surge inquit, & persequere viros, & apprehensus, dicit: quare reddidistis

*Manè omnes dimittuntur.*

tis malum pro bono ? scyphus quem furati estis, ipse est, in quo bibit dominus meus; & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis, fecit ille, ut iusserat: & apprehensus per ordinem locutus est. Qui responderunt, quare sic loquitur Dominus noster, ut servi tui tantum flagitium communi serint. Pecuniam quam invenimus in summitate saccorum reportavimus ad te de terra Chanan, & quomodo consequens est, ut furati simus de domo Domini tui aurum vel argentum? apud quemcunq; fuerit inventum servorum tuorum, quod quaeris, mori iatur, & nos erimus servi Domini nostri. Qui dixit eis: fiat juxta vestram sententiam: apud quemcunq; fuerit inventum ipse sit servus meus; vos autem eritis innoxii. Itaque festinate deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli; quos scrutatus, incipiens a majore, usq; ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin at illi scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, reversi sunt in oppidum.

O tristia corda! moestissimi animi! scissae sunt vestes, magis lacerae mentes novus ignis, urens tribulatio; conflicatio insuperabilis; si quid in metallicâ

ter-

terrâ fratrum, scoriarum paliarumve  
reconditum in venis lateat hoc acerri-  
mo igne correptum, excoquetur totum  
ad purum: argenteus ille scyphus, ar-  
genteos reddet fratres.

Primus Judas cum fratribus ingressus  
est ad Joseph: omnesq; ante eum pariter  
in terram corruerunt, quibus ille ait: cur  
sic agere voluistis? an ignoratis, quod  
non sit similis mei, in augurandi scien-  
tia? cui Judas: quid respondebimus  
Domino meo? vel quid loquemur? aut  
justè poterimus obtendere? Deus inve-  
nit iniquitatem servorum tuorum: en  
omnes servi sumus domini mei, & nos,  
& apud quem inventus est scyphus.

Quid loqueris Juda? nunquid habes,  
quod justè obtendas? inventus est scy-  
phus, unâ cum tritici pretio: qui pretium  
hoc vobis insciis reposuit, nunquid eti-  
am scyphum imposuisse censebitur? sed  
inquis; Deus invenit iniquitatem servo-  
rum tuorum: agedum, quæ ista iniqui-  
tas? quam fateri videris? non est furtum  
scyphi; nam hujus insontes vos esse pro-  
bè nostis; nec ejus vos unquam reos fa-  
teri poteritis; quam igitur iniquitatem

*Reducti  
ut fures  
proster-  
nuntur  
antè Jo-  
seph.*

*Quæ ini-  
quitas in-  
venta.*



vestram ais invenisse Deū? O conscientia ! mordax vermis, qui non moritur, iniquitatē invenit Deus, quā ergā fratrem in domo paternā, duri ac asperi quotidie extitistis : iniquitatem invenit Deus; quā eundem invidiā, irā, odio, innocentem persecuti estis : iniquitatem invenit Deus, quā ipsum mille angustiis pressum, frustra que deprecantem, cisternæ crudeliter intrufistis : iniquitatē invenit Deus ; quā de libertate, de vita, de sanguine ejus , impii consules statuere non horruistis : impietatem denique invenit Deus , quā nihil omninò juris aut domini habentes, Sed pessimæ fidei summæque perfidiæ possessores ejus ipsum alienigenis divendere, tradereque in vile mancipium , ausi fuistis, immania saxa. Hæc est iniquitas inventa : agnoscitis ; expiate.

*Judas se  
offert in  
servum  
loco Benjamin.*

Respondit Joseph : absit à me, ut sic agam qui furatus est scyphum ipse sit servus meus : vos autem abite liberi ad Patrem vestrum. Accedens autem propius Judas, confidenter ait : oro domine mi, loquatur servus tuus verbum : si intravero ad servum tuum patrem nostrum, & puer defuerit, (cum anima il-  
lius

lius ex hujus anima pendeant) viderit-  
 que cum non esse nobis cum, morietur  
 & deducet famuli tui canos ejus cum  
 dolore ad inferos, ego propriè servus tu-  
 us sim: non enim possum redire ad patrē  
 meum absente puero, ne calamitatis,  
 quæ oppressura est patrem meum, testis  
 assistam. Non se poterat ultrà cohibere  
 Joseph, multis coram astantibus: unde  
 præcepit ut egrederentur cuncti foras,  
 & nullus interesset aliēus agnitioni mu-  
 tua: elevavitq; vocem cum fletu, & dix-  
 it fratribus suis: ego sum Joseph: adhuc  
 pater meus vivit: non poterant respon-  
 dere fratres nimio terrore perterriti: ad  
 quos ille clementer: accedite, inquit ad  
 me: & cum accessissent propè: ego sum,  
 ait Joseph frater vester, quem vendidif-  
 tis in Ægyptum: nolite pavere, neq; vo-  
 bis durū esse videatur quod vendidistis  
 me in his regionibus, pro salute enim  
 vestra misit me Deus ante vos in Ægyp-  
 tum: non vestro consilio, sed Dei volun-  
 tate huc missus sū, festinate & ascendite  
 ad Patrē meū, & adducite eū ad me: cūq;  
 amplexatus recidisset in collum Benja-  
 min fratris sui, flevit, illo quoq; similiter  
 flēte super collū ejus osculatusq; est Joseph

*Mutua  
 fratrum  
 agnitio.*

*Gaudium  
Patris.*

omnes fratres suos, & ploravit super singulos; post quæ ausi sunt loqui ad eum. Singulis quoque proferri iussit binas stolas. Benjamin verò dedit trecentos argenteos, cum quinque stolis optimis: tantundem pecuniæ & vestium mittens patri suo; addens & asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Ægypti: & totidem asinos triticum in itinere panesque portantes. Dimisit ergo fratres suos; qui ascendentes; ad Patrem suum Jacob, nunciaverunt ei dicentes; Joseph filius tuus vivit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti: quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis: illi contra referebant omnem ordinem rei: cumque vidisset plaustra, & universa, quæ miserat, revixit spiritus ejus, & ait sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit: vadam & videbo illum antequam moriar.

Imò verò videbis illum. Ascendit Joseph obviam Patri suo, vidensque eum, irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit: Dixitque Pater ad Joseph: jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.

Sic

Sic tandem cessant adversitates Iacob, tot annis afflicti Patris: & fortunæ amplificandæ favores, à majoribus factis cumulatè suppeditantur.

Cum fratribus adhuc paulisper agendum: nunquid & mirum videri poterit, & durum, quod Ioseph suos quos tam sincerè, tantaque tenentur ne adamabat; ut non nisi de eorum procuranda augendâque cogitaret, tanto tempore, tantis intermentis, tamque amaris animorum cruciatibus, desolatos relinquere, immo à mente valuerit? D. Augustinus in Gen. qu. 146. ait: Ioseph utique fratres non fecit calamitosos, quando tantæ ipsorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat: & tantum hoc agebat; ut eorum gaudium differretur & dilatione cumularetur. Quos nunc, ut omnem deinceps metum solitudinemque deponant, solatio prosequi, animisque erigere non dedignatur: nolite pavere, inquit, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me: misit me Deus in Ægyptum: Dei voluntate huc missus sum. Necdum tamen inde Fratribus secura tranquillitas;

*Ioseph affligens**Fratres,**amabat**eos**jamque**solatur.**Timent**ipsi, us-**que ad**obitum**Patres,*

continuo metu fluctuabant animi, ad obitum Patris usque & ultra hoc namque sepulto, Gen. 50. timentes & mutuo colloquentes: ne forte memor sit injuriarum, quam passus; & reddat nobis omne malum, quod fecimus; mandaverunt ei dicentes: Pater tuus præcipit nobis antequam moreretur; ut hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiarum, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus, ut servis Dei Patris tui dimitteas iniquitatem hanc, quibus auditis flevit Joseph: veneruntque ad eum fratres sui, & proni adorantes in terram dixerunt: servi tui sumus. Quibus ille respondit: nolite timere: num Dei possum resistere voluntati? vos cogitastis de malo; sed Deus vertit illud in bonum: ut exaltaret me. Sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos: nolite timere: consolatusque est eos, & blandè ac leniter est locutus. Hic denique sedatur animorum æstus; extinguuntur Fratibus tribulationis ignis; furno subtrahitur metallum; purificatum adamatur argentum.

Non possum non inhærere adhuc aliquan-

liquantulum istis Iosephi oraculis: *non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, num Dei possumus resistere voluntati: vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.*

Componamus, quæso hoc cum illis actorum 2. Viri Israëlita, audite verba hæc, Iesum Nazarenum, *definito consilio & præscientia Dei traditum*, per manus iniquorum affligentes, interimistis, & c. 4. Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus dominum, & adversus Christum eius: convenerunt enim verè adversus Iesum, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël *facere, quod manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.* Nonne hic unus idemque Spiritus, per Iosephum & Apostolos, unum idemque locutus esse notatur? utrobique clarè patet, non tam hominum depravata libertate, quam Dei providentiâ, divinaque voluntate geri, quæ aguntur in hoc Mundo. Præclarum omninò, & fortè hucusque rarum, ab hac veritate dogma desumere licebit: quo homo peccator sincere pœnitens, vereque ad Deum conversus, possit intuitu Dei, ex una

*Dei Providentia geruntur omnia.*

*Solacium  
Peccatoris  
pœnitentis.*

*Voluntas  
Dei, du-  
plici rati-  
one, con-  
siderata.*

una parte in dolore delictis : ex altera  
vero etiam, ne affligatur nimium quo se  
consoletur, reperire valeat. Voluntas  
Dei duplici modo considerari potest  
velut ipsa sanctitas, & justitiæ omnis  
norma : vel ut universale rerum omni-  
um Principium. Quando considerabi-  
mus Deum ex hac parte velut justitiam  
supremam ; & ex ista velut rerum om-  
niū causam ; inq. hanc duplicem ideam  
contorqueamus delictorum nostrorum  
aspectum ; etiam vario agitabimur mo-  
tu, alio, quo approbemus id, quod pro-  
dit à Deo, alio quo condemnemus il-  
lud, quod provenit ab homine. Afflicta-  
mur de peccatis nostris ; quoniam illa  
à Deo summè justo, iniquitatis, inso-  
lentiæ, & ingratiudinis abominandæ  
condemnari cernimus : quando vero  
eadem, ab eodem Deo, tanquam rerum  
omnium principio, ad consequendum  
Providentiæ suæ scopum, permessa esse  
cognoscimus, non possumus non hanc  
divinam permissionem, utpotè malo-  
rum objectaculum ac velut in nigro ja-  
culatorio orbe jaculamen in album,  
submissè revereri, undè quamvis hæc  
cogni-

cognitio, non debeat ab omni peccatorum dolore, eorumque detestatione, nos remove; potest tamen nimios, quibus inde deijcitur, mentis angores, inquietudinumque motus & excessus, in pœnitentis corde contrito, mitigare eumque erigere in spem veniæ. *Æqua-* *Etiam*  
*liter* proindè concessum fuerit; & ob *peccata*  
 peccata intuitu justitiæ divinæ, quæ il- *dupliciter*  
 lorum enormitatem castigat, sese affli- *respicien-*  
 ctare; & ob eadem, intuitu providentiæ *da.*  
 voluntatisque increatæ; quæ ad suos fines, qui sincerè pœnitentibus nunquam non salutare eveniunt, prosequendos; ejusmodi lapsus sapienter indulget; dispositionem divinam adorare, voluntati Dei acquiescere; arcana ejus suspicere; adeoque animum piè tranquillare. Ita sanè peccatorem, sanctè pœnitentem, *Deus in*  
 cuius cor justitiæ *peccatis*  
 redditum, à Deo possidetur, vix quidquam dignius in Orbe solari poterit; quàm quod in peccatis suis, ipse Deus fuerit inventus: qui infinitâ sua bonitate excessus omnes, in reconditæ sapientiæ suæ seriem ingredi voluerit; eosque in præstantes collocaverit usus,

tum.



tum ad sancta sua ab omni retrò æternitate præstituta placita, fideliter adimplenda: tum ad ipsa peccatorum vulnera, in remedium salubriter applicanda; quo à gravioribus conscientia malis, animique morbis periculosioribus gratiosè præservetur homo: assumens videlicet venenum, ad conficiendum antidotum.

Hoc dogma, quod in consolatoriis Iosephi ad Fratres dictis concludebatur, pro soliditate sua eos, ad componendos pacatè animos, suaque fata humiliter amplectenda, haud gravate poterat inflectere: à quibus, nunc affatim animatis, ritèq; excultis gentium Patriarchis, adeoque etiam nostris Tritavis, at patruis, majoribusque venerabilibus, cum reverentia recedo, iisque superata fata, sortemque præcellentem gratior. Protracta aliquantò longius est Crux Iosephi & Fratrum ejus, pro ea, qua variebatur abundantia rerum, & vicissitudine eventuum, ne tamen nos deinceps benevolo lectori effusiore calamo tædiosam crucem fabricare censeamur; quod sequitur precedentium  
cruci-

crucigerorum agmen , brevi intuitu  
spectandum , quasi per transennam  
prætermittere studebimus.

# C R U X

Justorum Moy sis & Aaronis

Fratrum : ac Mariæ Sororis.

Numer. 12. & seq.

**M**Oyses Dux magnus Israëliti po-  
puli ; Homo Dei Propheta simul &  
Mundi doctor ; Deo inter mortales fa-  
miliarissimus : de quo Deuter. cap. 34.  
Sacra pagina testatur : non surrexit  
ultrà Propheta in Israël sicut Moy ses ,  
quem nosset Dominus facie ad faciem  
in omnibus signis atque portentis : de-  
prædicatur porrò Num. 12. Vir mitis-  
simus super omnes homines , qui mo-  
rabantur in terra ; & ab ipsomet Do-  
mino extollitur hoc elogio : si quis fue-  
rit inter vos Propheta Domini, in visi-  
one apparebo ei, & per somnium loquar  
ad illum : at nos talis servus meus Moy-  
ses ; qui in omni domo mea fidelissimus  
est ;

*Qualis  
fuerit  
Moy ses.*

*Qualis  
Aaron.*

est; ore enim ac l os loquor ei, palam, &  
non per ænigmata & figuras, Deum vi-  
det. Notate virum sanè incomparabi-  
lem Aaron jussu divino Moyſi Fratris  
conjugitur, Exod. 4. Sic disponente  
Domino: Aaron Frater tuus levites, scio  
quod eloquens sit: ecce ipse ingredie-  
tur in occursum tuum, vidensque te  
lætabitur corde: loquere ad eum & po-  
ne verba mea in ore ejus, & ego ero in  
ore tuo, & in ore illius, & ostendam  
vobis quid agere debeatis: & ipse loqui-  
tur pro te ad populum, & erit os tuum  
tu autem eris ei, in illis quæ ad Deum  
pertinent. Exodi 28. e. levatus Aaron  
summum Sacerdotium, Sanctificatus  
ministrat Domino. Notate Pontificem  
maximum.

*Maria  
inficitur  
lepra.*

Maria horum Soror ob verbum mi-  
nus consideratè propter uxorem Moy-  
ſis Æthiopissam prolatum, corripitur  
à Domino & percutitur leprâ, Num. 12.  
Ecce in Maria apparuit can- dens lepra,  
quasi nix: cum respexisset eam Aaron  
& vidisset perfusam leprâ, ait ad Moy-  
ſem: obsecro ne fiat hæc quasi mortua  
& ut abortivum, quod ejicitur: Ecce  
jam

jam medium ejus carnis devoratum est leprâ. Clamavitq; Moyses ad Dominum: Deus observo, sana eam. Cui respondit Dominus: separetur septem diebus extrâ castra, & postea revocabitur: exclusa, est itaq; Mariâ extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco isto, donec revocata est Maria. Nonne hoc affatim crucis dicemus esse, summis Populi Dicibus principibus viris? Non est satis Moyses Num. XI. ob murmur populi eò deducitur calamitatum; ut alloquatur Dominum: cur afflixisti servum tuum? observo ut interficias me; ne tantis afficiar malis.

*Moyses servum tuum  
bimortem  
optat.*

*Ignis absumit filios Aaron.*

*Mors  
Maria  
Murmur  
Populi.*

In Aaroni tristi conspectu Levit. X. binos ex filiis quia ignem alienum, quod eis præceptum non fuerat, obtulerant coram Domino, egressus à Domino ignis devoravit vivos: unde gemens Aaron inquebat quomodo potui comedere mente lugubri? & nondû satis. Num. c. xx. Venerunt filii Israel & omnis multitudo in desertû; mortuaq; est ibi Maria, & sepulta in eodem loco. Cumq; indigeret aquâ populus; convenerunt adversum Moysen & Aaron, & versi in seditionem dixerunt: utinam perreissemus

H inter

inter Fratres nostros: cur adduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, ut & nos, & nostra jumenta moriamur? Ingressus Moyses & Aaron, dimissa multitudine, in tabernaculum fœderis: conuerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens, tolle virgam, & c. tulit igitur Moyses virgam, sicut præceperat ei, congregata multitudine, ante petram: dixitque eis; audite rebelles & increduli; num de petra hæc vobis aquam poterimus ejicere? cumque elevasset Moyses manum, percussit virga bis silicem; egressæ sunt aquæ largissimæ; ita ut populus biberet & jumenta. Quis amabo hic reperit vel minimum sive in Moysse, sive in Aaron delicti? Judicia Dei magna, abyssus multa. Aliter homines, aliter Deus judicat: dicit Dominus ad Moysen & Aaron; quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coràm Filiis Israël; non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis: & utrique mors imperatur,

*Aqua ex  
Petra.*

*Denegatur ingres-  
sus in terram pro-  
missionis  
Moysi &  
Aaroni.*

*Mors utri-  
que indi-  
citur.*

tur, & mox consequitur: quamprimum enim castra moverunt ex illo loco in montē Hor pergat (inquit Dominus) Aaron ad populos suos: deducitur à Moysē coram omni multitudine in montem: spoliatur vestibus, eisque induitur Eleazar filius ejus, colligitur & moritur in montis supercilio. Promota sunt porrò castra ad montem Nebo Deuter. 33. locutusque est Dominus ad Moysen, ascende, & morere in monte: jungeris populis tuis: è contra videbis promissionis terram; & non ingredieris in eam. Ascendit ergo Moyses jam centum & viginti annorum super montem Nebo, non calligavit oculus ejus; nec dentes illius moti sunt; sed monstrante Domino lustravit oculis promissionis terram; eoque jubente mortuus est, qui & sepelivit eum: & non cognovit homo sepulchrum ejus, usq; in præsentem diem.

*Mors Aaronis.*

*Mors Moysis.*

Deum immortalem! quam paras inexpectata mortalibus fata! annis ferme quadraginta, per mille tædia, permolestaque incommoda contenderant hi primi Duces ad promissionis terram; jamque propinqui, illam oculis attingere poterant, at pede

H 3

pre-

Ratioci-  
natio ex  
his gestis.

premere prohibebantur: eaq; unquam  
potiundi spes eis omnis, una cum vita  
præscindebatur. Cum hi viri Principes,  
tanti Dei servi, in pœnam cujus huma-  
na imbecillitas culpam vix aut ne vix  
quidem ullam cognoscere potuit, à ter-  
râ promissionis excludantur, nos, quo-  
rum manifesta prostant delicta quam-  
plurima, ità rigide judicandi, quam ade-  
undæ aliquando cœlestis hæreditatis  
spem aut concipere, aut alere poterimus?  
Adorantes proindè justissima  
sensa tua Domine, deprecamur humili-  
mè ne intres nobis cum in iudicium ta-  
le tuum.

## C R U X

Justi Tobia.

*Libro ejus.*

Celebris justitiâ Tobias; qua vis in for-  
tuna memor Domini ex toto corde  
suo, veritatis viam nunquã deseruit. Fili-  
um suum ab infantia timere Deum do-  
cuit & abstinere ab omni peccato. Ope-  
ribus Caritatis ac misericordiæ diu no-  
ctuque jugiter intentus, dividebat uni-  
cuique prout poterat, de facultatibus  
suis: esurientes alebat, nudisq; vestimen-

ta præbebat; & mortuis atq; occisis sepulturam sollicitè exhibebat. A Salmanasar Assyriorum rege, unà cum uxore & filio ducitur in captivitatem, a deoq; ad Crucigerorum agmen erat hæc calamitas cum pluribus aliis ei communis: Mox singularem eidem infert Rex Senacherib, qui tulit omnem substantiam ejus, & jussit eum occidi, eò quòd sepeliret corpora à Rege occisorum: cum, uxore & filio fugiens nudus latuit; quia multi diligebant eum. Occiso à filiis rege reversus est Tobias in domum suam, omnisq; illius facultas est ipsi restituta: perrexitq; vacare exercitiis consuetis misericordiæ ac charitatis fatigatus quadam die à sepultura cum jactasset se juxta parietem & obdormisset; ex nido hirundinum dormienti illi calida stercorea inciderunt super oculos ejus, & factus est cæcus. Hanc tentationem (testatur scriptura) ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ illius, sicut & Sancti Job. Nam cū ab infantiâ suâ semper Deum timuerit & mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatatis evenerit ei sed immobili in Dei

*Ducitur  
in capti-  
vitate*

*Spoliatur  
bonis ad-  
igitur su-  
gam.*

*Cacitate  
affligitur*



*à suis pa-  
tribus.*

timore permansit, agens gratias Deo  
omnibus diebus vitæ suæ sicut beato Job  
insultabant Reges, ita isti Parentes &  
cognati ejus irridebant vitam illius dicen-  
tes: ubi est spes tua, pro qua eleemosinæ  
& Sepulturas faciebas? Tobias verò in-  
crepabat eos dicens: nolite ita loqui,  
quoniam filii Sanctorum sumus, & vitam  
illam exspectamus quam Deus daturus est  
his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.  
Ad hæc uxor ejus irata respondit: ma-  
nifestè vana facta est spes & tua eleemo-  
sinæ his & tuæ modò apparuerunt: atque  
aliis hujuscemodi verbis exprobrabat  
ei. Tunc Tobias ingemuit & cepit orare  
cum lacrymis. Dicens: Justus es Domine,  
& omnia judicia tua vera sunt; & omnes  
viae tuæ misericordia & veritas & judi-  
cium; & nunc Domine memor esto mei,  
& secundum voluntatem tuam fac me-  
cum & præcipe in pace recipi spiritum  
meum expedit enim mihi mori, magis  
quam vivere.

*expetit  
mortem.*

Itaque sperans exaudiendam oratio-  
nem suam, erudit filium, quomodo se  
mortuo vitam instituere debeat: mittit-  
que ad mutuum à Gabelo recipiendum,  
Raphaëli peregrinantis comiti, dum la-  
lu-

lutasset Tobiam dixissetque *Gaudium tibi sit semper*; res pondit Tobias: *quare gaudium mihi erit, qui in tenebris se- deo, & lumen caeli non video.* Bene am- buletis, & sit Deus in itinere vestro, & angelus ejus comitetur vobiscum, & dixit filius vale Patri suo, & matri suæ, & ambulaverunt ambo simul.

Hic jam crux nova inquietæ sollicitu- *Lugor*  
dinis erigitur: Cum profecti essent cœ- *mater ab-*  
pit mater ejus flere & dicere; baculum *legatum.*  
fenestris nostræ tulisti & transmisisti *filium.*  
à nobis: utinam nunquam fuisset ipsa  
pecunia pro quâ misisti eum. Sufficiebat  
enim nobis paupertas nostra, ut divitias  
computaremus hic: quod videamus fi-  
lium nostrum dixitq; ei Tobias: noli fle-  
re, salvus perveniet filius noster & salvus  
revertetur ad nos: & oculi tui videbunt  
illum: credo enim quod angelus Dei,  
bonus comitetur ei; & bene disponat  
omnia, quæ circa eum geruntur; ita ut  
eum gaudio reveratur ad nos. Ad hanc *Peplorant*  
vocem cessavit mater ejus flere, & tacuit. *simul &*  
Cum verò moras faceret causa nuptia- *Tobias &*  
rum; sollicitus erat Pater ejus dicens: pu- *Hanna*  
tas, quare moratur filius meus? aut qua- *longiorena-*  
re detentus est ibi, putasne & abelus mor- *filii mo-*  
 *ram.*  
H 4 tuus

tuus est? & nemo reddet ei pecuniam? *cœpit accedem contristari nimis, & Hanna uxor ejus cum eo: & cœperunt ambo simul: eò quod die statuto minime reverteretur Filius eorum ad eos: flebat Mater ejus irremediabilibus lacrymis, & dicebat: Heu mihi! Fili mi, ut quid te misimus peregrinari? lumen oculorum nostrorum; baculum senectutis nostræ; solatium vitæ nostræ; spem posteritatis nostræ, omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis. Cui dicebat Tobias: tace, & noli turbari; sanus est Filius noster; satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum. Illa autem nullo modo consolari poterat: sed quotidie exiliens circumspiciebat & circumibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem. Sic Hanna sedebat quotidie secus viam, in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo: & dum ex eodem loco specularetur adventum ejus, vidit à longè, & ilico cognovit venientem Filium suum, currensque nunciavit viro suo, dicens; ecce venit Filius tuus: & consurgens cæcus Pater*

*Hanna  
quotidie  
præstola-  
tur ex  
monte re-  
ditum Fi-  
lii.*

*Excipi-  
tur redux*

Pater ejus cœpit offendens pedibus cur-  
 rere, & data manu puero, occurrit ob-  
 viam Filio suo: & suscipiens osculatus  
 est eum, cum uxore sua, & cœperunt  
 flere præ gaudio, cumque adorassent  
 Deum, & gratias egissent, confede-  
 runt. Tum sumens Tobias de felle pis-  
 cis, linivit oculos Patris sui, & sustinuit  
 quasi dimidiam ferè horam: & cœpit  
 albugo ex oculis ejus quasi membrana  
 ovi egredi, quam traxit ab oculis ejus,  
 statimque visum recepit: & glorifica-  
 bant Deum: dicebatque Tobias: *Be-  
 nedico te Domine Deus Israel, quia tu  
 castigasti me, & tu salvasti me: Et ec-  
 ce ego video Tobiam Filium meum. In-  
 gressa est etiam post septem dies Sara  
 uxor Fili ejus, & omnis familia, & pe-  
 cora sana, & cameli, & pecunia multa  
 uxoris, sed & illa pecunia quam rece-  
 perat à Gabelo: & narravit parenti-  
 tibus suis omnia beneficia Dei, quæ  
 fecisset circa eum, per hominem, qui  
 eum duxerat: & vocantes eum, Pa-  
 ter scilicet & Filius, rogare cœperunt,  
 ut dignaretur dimidiam partem omni-  
 um, quæ attulerant, acceptam habere:  
 tunc dixit eis occultè: Benedicite De-*

*Curatur  
 cecitas*

*Manifes-  
 tat se Ra-  
 phaël.*

um Cœli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam: manifesto ergo vobis veritatem: quando orabas cum lacrymis & sepeliebas mortuos, & delinquebas prandium tuum, ego obtuli orationem tuam Domino: *Et quia acceptus eras Deo necesse fuit, ut tentatio probaret te* & nunc misit me Dominus, ut curarem te, & Saram uxorem filii tui à Dæmonio liberarem; ego enim sum Raphael Angelus, unus de septem, qui astamus ante Dominum, Pax vobis, nolite timere: Benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia ejus: & cum hoc dixisset, ab aspectu illorum ablatum est, tunc prostrati per horas tres in faciem benedixerunt Deum, & exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus. Hic jam experitur tota Tobie domus veritatem ejus, quod paulò ante conjugium suum in oratione persistens cum lacrymis Sara nova junioris conjugis, loquebatur ad Dominum: Tob. 3. Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit: quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit liberabitur & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.

cebit, non enim delectaris in perditionibus nostris ; quia post tempestatem tranquillum facies, & post lacrymationem & fletum, exultationem infundis : sit nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula.

## C R U X

Justæ Castæque Susannæ.

*Daniel. 13.*

**I**ngredimur pomarium Joachim ad omnem amœnitatem confitum ; in illo, quod insolens est, cruces excrescere horridas admirabimur. Profectò quæ indè prima portanda Susannæ defertur! nisi à Deo, qui masculum virtutis robur in famulâ suâ latere cognoverit, præparata sciretur, minus apta fœmineis humeris, iustoque gravior videri potuisset. Susanna delicata nimis & pulchra facie, Domina inter omnes honorabilior, dives valde, & quoniam parentes illius, cum essent iusti, erudierant filiam suam secundum legem Moyses, erat timens Deum. Cum vellet lavari in pomario reperit se  
 se inopinatò duos inter Senes, nescio,

*Tentatur  
 castimo-  
 nia.*

an feras ; pulchra nimis Diana , dicam ,  
 an timens magis Deum Heroïna : ab  
 his , nisi , ut flagitiosè satiarentur deco-  
 re ejus , velit assentire ; falsum sibi cri-  
 men iniquissimè affingendum intelli-  
 gebat : ingemuit & ait : angustia sunt  
 undique : si enim hoc egero , mors mi-  
 hi est : si autem non egero ; non effugiam  
 manus vestras : sed melius est mihi undi-  
 que opere incidere in manus hominum ,  
 quam peccare in conspectu Domini ;  
 & clamavit voce magna Susanna ;  
 exclamaverunt autem & senes adversus  
 eam . Cum audissent clamorem famuli  
 Domûs , irruerunt , ut viderent , quid  
 nam esset postquam autem senes locuti  
 sunt ; erubuerunt servi vehementer , quia  
 nunquam dictus fuerat sermo hujusce-  
 modi de Susanna Jam senes pleni iniqua  
 cogitatione adversus Susannam , ut in-  
 terficerent eam , postera die ad tribu-  
 nal citârunt : adest cum Parentibus , &  
 Filiis , & universis cognatis suis : fle-  
 bant sui & omnes qui noverant eam .  
 Consurgentes autem duo Presbyteri in  
 medio populi ; posuerunt manus suas  
 super caput ejus : quærens respexit ad  
 Coelum : erat enim cor ejus fiduciam  
 habens

*Falso ac-  
 cusatur.*

habens in Domino : & dixerunt Presbyteri : cum deambularemus in pomario Soli, ingressa est hæc cum duabus puellis, & clausit ostia pomarii, & dimisit à se puellas, venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, & concubuit cum eâ: hujus rei testes sumus. Credidit eis multitudo quasi senibus & iudicibus populi: & condemnaverunt eam ad mortem. Jam itaque declarata adulterii mortisque rea, talis habetur à populo; talis creditur ab omni multitudine Talis ad mortem propudiosissimè protrahitur Matrona innocentissima, Castissima fœmina, pulchra nimis ac decora, Deum timens Susanna. O cœlum! O terra! an potest istantum, tam execrandum Inveteratorum illorum tenebrionum scelus, sine motu & tremore; sine tonitru & fulmine sustinere? audiat æther! audiat alma tellus! Susanna magna voce exclamat: Deus æterne! qui absconditorum es cognitor; qui nosti omnia, antequam fiant! tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contrà me; & ecce morior, cum nihil horum fecerim.

*Susanne  
Clamor  
ad Deum*



*Restau-  
ratur ju-  
dicium.*

fecerim, quæ isti malitiosè composue-  
runt ad verum me. Exaudivit Domi-  
nus, vocem ejus, suscitavitque Spiritum  
pueri junioris, cujus nomen Daniel,  
qui exclamavit voce magna, rever-  
timini ad judicium, quia falsum te-  
stimonium locuti sunt contra eam.  
Reversus est ergo populus cum festi-  
natione, & dixit Daniel; Separate  
illos ab invicem procul, & dijudicabo  
eos. Vocavit unum, inveterate die-  
rum malorum; dic, sub qua arbore  
videris eos colloquentes sibi? Quid ait;  
sub Schino: dixit Daniel; Rectè  
mentitus es in caput tuum, & a-  
moto eo; jussit venire alterum: &  
dixit ei: dic mihi, sub qua arbore  
comprehenderis eos loquentes sibi?  
qui ait, sub Prino. Dixit Daniel;  
rectè mentitus es & tu in caput tu-  
um,

*Necantur  
perfidi.*

Exclamavit itaque omnis cæcus  
voce magna, & benedixerunt Deum,  
qui salvat Sperantes in se: & consur-  
rexerunt adversus duos presbyteros,  
& interfecerunt eos; pœna talionis  
damnatos, lapidaverunt: & salva-  
tus

tus est sanguis innoxius in die illa. Helchias & Uxor ejus laudaverunt Deum pro Filia sua Susanna, cum Joachim marito ejus & cognatis omnibus, quia non esset inventa in ea res turpis.

Adhuc verbum unum ad te, magne Daniel: quid incassum indagabas veritatem à perfidis, in collum, inque caput pejerare consuetis, nequam istis malorum inveteratis? quæris, sub qua arbore visa colloqui sit Susanna? dicam: sed nec sub Schino, neque sub Prino: verum sub infelici Pomo, in voluptatis Paradiso, comprehensa est in Eva colloquens angui, in herba latenti; tunc adhuc Adolescenti, nunc Veterano, callido, juratoque humani generis inimico serpenti.

Solamine tuo hæc dixerim Susanna: ex fatali isthac arbore Crux tua tota, Hominumque omnium formatur. Quid luges? amaro es animo humiliata valde: si omnes, inquis, hereditarium hoc malum premit; cur me præ cæteris, tam enormiter aggravat?  
Acqui-

*Sub qua  
arbore de-  
prehensa  
sit.*

Acquiesce, si lubet, & sic oportet, verbis Esdræ lib. 4. cap. 10. Tu enim beata es præ multis, & vocata apud altissimum sicut pauci, Et cap. 4. lib. 4. dictum tibi puta ab Uriel Angelo; excedens non excedat cor tuum; nec comprehendere cogites viam altissimi; sed ut humilis es, reverere arcana Dei, quam humillimè; teque tuo fato submitte. Nunc si antiquæ paginæ diutius conveniret inhærere; magnus ille Daniel ex lacu Leonum, ad crucigerorum seriem producendus esset: verum ne agmen illud extendatur nimium, & hunc, & complures alios præclarissimos veteris legis cruciferos, silentio præterimus.

Quemadmodum

## CRUCES

Justorum novæ Legis innumera-  
rabiles]

eâdem brevitatis causâ

Prætermittendæ.

**E**x novâ gratiæ lege, in rem nostram  
propinquè magis demonstrandam;

si qui porrò ( quod uti magis notum, ita minus duximus necessarium ) justi crucigeri viderentur educendi : præcurreret imprimis major inter natos mulierum, Joannes Baptista in vinculis ; & è squalido carcere decollatum suum caput in disco proferret. Exhiberetur obliquè Herodes principatu detrusus, in exilium relegatus perpetuum. Ipsa saltatrix, filia Herodiadis, trajiciens congelatum flumen, disruptâ glacie, immergi notaretur corpore toto, solo exserto capite ; quod, ut omnes intelligerent, quâ de causâ tam miserè periret, glaciali acumine recisum à trunco, saltitaret suprâ glaciem. Ipsa denique Herodias, insano cruciatu necari filiamque ad tartara subsequi spectanda præberetur. Procederet Neo-Sponsus D. Josephus, ob benedictum sponsæ suæ fructum, anxiamente perplexus ; taciteq; molestâ impetitus Zelotypiâ : dein ab Herodis furore in Ægyptum fugiens ; denique dolenter quærens amissum Jerosolymis, Jesum. Ebulliret parvulorum Innocentium sanguis circumstreperet saxa

*S. Joannes  
Baptista.**D. Josephus.**Martyres*

*Beati omnes.*

*Via dolorosa.*

ea Stephani grando. Ignosceret Laurentii crates. Apostolorum cruenta cædes recrudescerent, quot triumphans inter beatos Martyrum millia; tot nova restarent exhibenda crucigerorum agmina: quotque Athletas cælum coronat, & tot producendos nobis crucigeros, sine fine suppeditaret. Astra transcendere; ingredi cælum; circumspice sanctos, quemcunque designaris inspiciam vitam illius, ac fata observabo, moxque tibi toleratam ab eodem aduersitatem, crucemque insignem demonstraverò.

Est verò via quædam Jerosolymis; quam, quia à Palatio Pilati, usque ad montem Calvariæ, Salvator noster dominus Jesus, ad mortem condemnatus, flagris jam conscissus, totus Sanguinolentus, spinis dedecoratus, bajulans crucem, ægrè admodum confecit; appellant hodie eam viam dolorosam: hæc vel ipsa nominis sui exigentiâ, ne à nobis prætereat, postulare videtur: adibimus proinde hanc dolorosam viam, & repertas in eà insignes cruces, saltem obiter protrahemus in medium.

CRU.

# CRUCES

in

Viâ Dolorosa,

MARIÆ dolorosæ JESU Ma-  
tri!

Marix Magdalenæ, incompa-  
rabili JESU amatrici.

Veronicæ extemporanæ Iconis  
JESU effectrici.

Singulis singillatim, permistè om-  
nibus,

Obviæ,

**H**erolosymitana traditio est; quam  
Apostolicus terræ Sanctæ Missio-  
narius, è Societate Jesu, in stationibus  
gallicè conscriptis refert: Beatissimam  
Virginem Matrem à S. Joanne Evan-  
gelistâ admonitam; quod Jesus con-  
demnatus, corpore per flagellationem  
penitus lacero; capite spinis cruento, in  
latronum duorum consortio, ipsemet  
suis humeris crucem ad montem, sup-  
plicii locum pertrahat; cucurisse do-  
loris gladio transfixam, per confer-  
tam turbam; per militum, qui vi-  
am

*Dolorosa  
Mater  
linquitur  
animo.*

am obsidebant, cohortem; Filio suo obviam, modestissime obtestando, permittite transire afflictissimam Matrem, finite eam charissimum suum Filium, Filium unigenitum, extremum videre: & postquam propius accessit, viditque ipsum adeò, ut erat, deformatum; inclamasse fletibus ac singultibus interceptâ voce: esne tu, Fili mi, quem video, amantissimus meus Jesus? non te cognoscebam amplius: aspice in me, Fili mi, charissime: dumque Salvator oculos sudore ac sanguine fluentes detergeret, matremque intueretur; ipsam præ dolore, animi deliquio affectam, inter brachia S. Joannis Evangelistæ, & Mariæ Magdalenæ, qui ipsam comitabantur, placidè concidisse. Monstrantur hodie dum rudera, in mysterii hujus memoriam exstructi olim Sacelli. Immitis satelles cogebat Dominum, cujus cor filiali scindebatur amore, Matrem Syncopico affectu correptam derelinquere: nullâ unquam respirandi concessa mora, ita supra vires, plus æquo, impactis fastibus urgebant progressum; ut pondere

dere crucis prægravatus , paulò post prostratus humi, mole succubuerit, quid mirum? erat Dominus agoniâ debilitatus, in eâ continuè exagitatus tormentis; nullâ nec cibi, nec potûs, à tempore cænæ, refocillatione refectus, adeoq; viribus pœnè destitutus; lignum autem crucis, ut erat quindecim pedibus longum, & octo pedibus transversum, atque æqua proportione crassum ac latum; necesse est exstitisse graue admodum ac ponderosum; sub quo veluti torculrias trunco, obtritrus jacebat humi ac gemebat Salvator.

*Christus  
Succumbit  
oneri  
crucis.*

Hic restituta sensuum facultati dolorosa mater iterum accedit: & jam ipsa vix erecta, reciproco mœrore deplorat prostratum; nec valens, nec permissa jacentem sublevare. Ergone sic oppressus jacet Salvator, desertus ab omnibus? non reperitur ergo in tanta hominum frequentia homo unicus benigni cordis, qui compatiatur & succurrat ad relevandum Dominum? nullusne est? qui applicet manum? qui juvet portare tantum pondus ad terminum montis? Non, non est ullus: omnes horrent crucem;

*Miseret  
Matrem  
oppressam.*



*Simeon  
Cyrenæus  
adigitur  
sublevare  
crucem.*

cem: nemo illam vult tangere, ne contrahat infamiam: necesse fuit minis & promissis adigere peregrinum fortè fortuna transeuntem. O fortunate Simeon Cyrenæ! O si scires, quanto te honore licet ignorantes, afficiant Judæi te constituunt, licet ipsemet nescias modò collegam hominis Dei, coadjutorem redemptoris mundi; bajulum instrumenti Salutis universæ; felix Simeon, cui tu te modò associas in levandâ cruce; ille te sibi aliquandò associabit in possidendâ gloriâ.

*Veronica  
abstergit  
faciem  
Christi.*

Allevatus Simeonis ope progressus est Dominus centum octoginta passibus: & ecce præclarissimum facinus piæ Veronicæ. Sedebat hæc ad eolum & filia trahebat; advertit tumultum; audit clamorem; concurrentis populi surgit illicò, prospicit ex domo; conjicit oculos in confertam multitudinem; conspicit in eâ suum Jesum; qui & obtutum figebat in ipsam; quo concitata, cum notasset Sacram Christi faciem, sanguine ac sudore manantem; rapit sui capitis velum, irruit in plateam; perrumpit mediam turbam.

bam, transversam militum & apparitorum aciem penetrat: calcibus ac pugnis malè multata, sed spreis ictibus, devenit, ad quem aspirabat, suum Jesum: prosternit se ad pedes ejus, complorando adorat eum, & linteo suo triplicato obducit divinam faciem, sudorem ac sanguinem officiosa abstergit. Eja age Veronica, insignis creatura; fortis presentisque animi Virago, nunquam satis deprecanda. Scisne quid egeris? Cui, quando, & ubi beneficium præstiteris? Cui? illi quem agnoscere pro viro bono inter Judæos crimen erat & intolerabile nefas. Quando? tempore, quo æternus Pater eum tradiderat in manus peccatorum: quo angeli pacis prohibiti ei Succurrere, amarè lugebant: quo ejus apostoli ipsum deseruerant, prodiderant, & denegaverant. Ubi? Hierosolymis; ubi Judices, Præsides, Pontifices, iniquissimè conserrando conjuraverant in mortem Jesu tui: ubi plebs universa, urbs tota urgebat ejus necem, horrendum vociferans, Crucifigatur. Illi ipsi tu, tali tempore, tali loco: in summâ temporis injuriâ,

*Porta iudiciaria.*

in conspectu & medio ejus inimicissimorum, impertiris solatium; abstergis vultum; revereris ut tuum Dominum; æstimas & amas velut Salvatorem, adoras veluti Deum. Mereris Veronica, nobilis anima, semper & ubique & in tempore & in æternitate, tui nominis, famæ & gloriæ immortalitatem. Jam nunc verò, quid gratiæ refers domum? pretiosissimum sanè munus, quale nulli unquam creaturæ concessum in mundo fuit, Sacratissimam Scilicet Christi effigiem, triplicato tuo linteo tripliciter impressam age, expande tua sacra vela coràm orbe universo, respiciant mortales in faciem Christi Redemptoris sui. En prima adest Sancta Virgo, immersa doloribus Mater, præ luctu attonita effigiem stupet: legit & amat in eâ filii sui lineamenta; horret & plangit in illâ deformatam cruore ac sudore speciosam præ filiis hominum formam. Ast relinquenda Veronicæ effigies: Archetyphum ipsum requirendum est. Jam inde à domo veronicæ sexaginta passus confecerat Jesus usque ad portam, per quam

quam olim ex urbe ad montem Calvaria ibatur, & vocabant Judiciariam: exstant adhuc dum ejus rudera, & quædam columna, ad quam, mortis sententiam, in reum, qui educebatur, latam affigere; & ut omni populo, causa mortis innotesceret, in transitu palam prælegere mos erat. Contemplare hic, fidelis anima; quomodo salvator, postquam attigit hanc funestam portam, procumbat in genua, & sententiam fatalem sibi prælegi humillimè audiat. declaratur ei, quod sit reus & convictus de Crimine læsæ Majestatis, divinæ & humanæ: divinæ; jactando se filium Dei: humanæ; prædicando se Regem Judæorum: & ob hoc duo præcipua, quæ excedunt reliqua ejus crimina, sit ad mortem & infamem crucem condemnatus, & clavis affigendus.

Quis hic intimos cordis moerores, quis compressos singultus piissimæ matris, sibi satis imaginari poterit? concipe, si possis, quid amanti Matri luctuosius. Audit illum suum filium qui quater mille annis antè promissus fuerat Judæis; qui per tot præfiguratus.

*Audit  
Mater  
sententiam  
filio  
prælegi.*

Patriarchas, per tot Prophetas annunciat; qui tot tantaque prodigia, ex quibus dignosci poterat, passim patrauerat; illum suum Filium audit reprobatum, haberi impostorem, indicari ut blasphematorem; & à populo, quem tantoperè amavit, cui intimè favit, ad infamem Crucis trabem rabiosè condemnari. Humillimus Iesus, mitissimus Agnus, excipit Sancto silentio iniquissimam mortis suæ sententiam; & egreditur Hierosolymis ad supplicii locum, Calvariae collem. Ab isthac judiciaria porta usque ad montis pedem conficendi veniebant passus ducenti: quibus confectis adeò debilitatum viribusque fractum notârunt Salvatorem, ut necessario duxerint reficiendum: offertur itaque Vinum, sed nequiter Myrrhâ mistum: recusavit bibere, cum nausearet fumere: restabant à pede usque ad fastigium Calvariae quinquaginta & aliquot passus superandi. Erat Calvaria tunc temporis cacumen rupis extra Hierosolymam positum; nunc in medio Civitatis circumdatum Ecclesia, & in sacellum omnino nobile transformatum:

*Mons  
Calvaria.*

tum: ad quod novendecim gradibus, at bene elatioribus, quam quales nos passim commoditati aptamus, hodie dum ascenditur. Apparet inibi Crucis, dum ei confixus fuit Christus, resupinae spatium. Designatur statio, ubi lacrymosa Mater, discipulus, quem diligebat Jesus, Maria Magdalena, cum aliis piis mulieribus, cruentam hanc tragœdiam, lugubres spectaverunt. Notatur duplex locus, ubi binæ Cruces, cum boni, tum mali latronis statutz fuerunt: Crux boni latronis quatuor pedibus & medio à Cruce Salvatoris remota substitit: Crux vero latronis mali, à Cruce sancta, ad sex pedes distincta fuit, Cernitur fissura rupis, quæ intervallo pedis unius, propè Crucem maligni latronis, in obitu Salvatoris, ex terræ motu prodigiosè secuta, inter Dominum nostrum Jesum & contumacem hunc trifurciferum, separationem mysticam longius produxit. Est hodie dum hoc sacellum, in quo Salvator, Christus Jesus, Filius Dei, salutem ac redemptionem generis humani, in cruce mortuus, operatus fuit facile sacratissimus Orbis totius locus. Ut.

*In dolente  
Matre  
lens da-  
tur Filius,  
& cruci-  
figitur.*

Ut primum cruciger Iesus attigit Cal-  
varia verticem, iussus fuit supinam col-  
locare Crucem: & dum pars una licto-  
rum malleos, clavos, funes, aliaque  
supplicii instrumenta disponit: pars alia  
clavorum infigendorum foramina te-  
rebat; & titulum Crucis affigit: pars  
scrobes, quibus Cruces imponantur,  
effodit: en reliqua apparitorum pars,  
vestimenta jam sanguine concreta, ve-  
recondo Iesu detrahit omnia; atque ita  
plagis, vulneribusque, sexcentis recru-  
descentibus, totum nudum exponit.  
Quale hoc maternis, castissimis ocu-  
lis acciderit spectaculum? dijudica, si  
enormitatem capere, si doloris excel-  
sum attingere potes, fidelis anima. E-  
narrabo agendi modum, quem lugens  
Mater intueri; tacita cogebatur. Atro-  
ciores inter carnifices involabant in de-  
nudati crines; & genibus pedibusque  
ictum, immites trahebant dejiciebant-  
que super resupinam Crucem: appre-  
hendunt manum dexteram, eamque  
foramini in transverso Crucis ligno  
ad hoc præparato appositam, transver-  
berant clavo, secundum Hierosolymi-  
tanam

tanã, cujus supra memini, traditionem, tredecim grandibus mallei percussionibus, quot malleorum ictibus adigebant clavum in dexteram Salvatoris, tot doloris acerrimi repercussus impingebant cordi Matris. A dextra ad sinistram deveniunt: cum jam nervi, venæ, musculi essent contracti, non pertingebat sinistra ad præparatum clavo foramen: itaque violenter extenduntur brachia, & tandem protracta ad terminum læva, novis tredecim percussionibus, clavo transfoditur: quo sensu doloris, haud facilè reputandum. Quando perventum ad pedes; pro quanta violentia attracti fuerunt ad destinata sibi bina foramina! unum post alterum, quemque octodecim mallei percussionibus, clavo fixerunt; quam largo ex manibus pedibusque læsis, sanguinis profluvio, tam amaro ex oculis Matris, lacrymarum rivo. En virum dolorum, nunc cernimus Crucifixum. Jam erigenda una cum Crucifixo, & effossæ icrobi inserenda crux erat. Parcite nonnihil, amabo vos satellites, patienti huic; (rogabat pia adstantium

tium



tium Mulierum turma ) nec nimis ruditer Crucis arborem agitate : vel minimus succussus novum graveque tormentum causabit affixo: sed quid mollius duris saxis loquuntur ? non est his feris curæ, moderatius Crucem movere; quin vehementi planè, & impetuosa succussione, truncum in scrobem intrudunt, tanto Redemptoris tormento; ut S. Mechtildi revelatum habeatur; Christum toto passionis cursu, passum non esse magis acrem sensibilemque hoc concussu dolorem. O Sancta Virgo, mœstissima Mater? hic liquet cor tuum amarum, esse mare amarum magnum.

*Maria  
Magdalena ad  
pedes Crucis  
fixi ad-  
voluta.*

Siste hic tantisper anima mea: & admirare mirabilem ac fidelem Christianam Mariam Magdalenam: firmata cruce, recedentibus ab ea lictoribus; ipsa amore divino Saucia, stat expedita ad advolandum ad eam: perge Magdalena, perge fidelis anima; prosterne te ante Crucem: amplectere Sacros pedes moribundi Salvatoris, exosculare vulnera, misce oculorum tuorum liquores, cum sanguine venarum dilecti  
tui:

tui: agito communes nostrum omnium partes, dicito Jesu, corde contrito ac humiliato, corde tuo & nostro: O amabilis Iesu! Sponse animarum nostrarum sanguinee! mea sunt peccata, quæ te tam crudeli, tam infami morte morico egerunt: mea sunt peccata, quæ sacratissimum tuum caput spinis cruentârunt: mea sunt peccata, quæ hos clavos manibus pedibusque tuis intruserunt, teque huic lino confecerunt. Ah magne Deus! Crucifixe amantissime? parce mihi, parce & misericordiam gratiosè largire: misericordiam Deus meus; misericordiam!

Interea, posteaquam Iesus Matri Joannem, & Joanni Matrem recommendaſſet; exspirat, quando divina Mater, lacrymarû largitate jam propè exsucca opplorabat Filio mortuo siderata primum; mox confecta mœrore, subsidens adoptati novi Fili D. Joannis, aliarumq; condolentium fœminarum ulnis, velut comortua fulciebatur. Magdalena verò in alta amantis animi lamenta erumpens, venustissimos suos capillos præ extremo luctu prolixè spargebat; quantum lacrymarum torrens, & singultus lon-

*Mortuo  
Iesu sub-  
sedit Ma-  
ter.*

*Magdale-  
na lamen-  
tatur.*

longi sinebant; exclamando: ah! pati-  
 ne ego Magdalena, quod meus Iesus  
 moriatur sine me suâ Magdalena, po-  
 teròne ego deinceps vivere sine illo?  
 non potero; non possum: oportet ut e-  
 tiam me crucifigat amor. O divine a-  
 mor! en corpus meum, contenta sum,  
 rape aditum, trucida en manus meas,  
 pedes meos; eos, enixè rogo, confige  
 clavis en membra corporis mei omnia;  
 inflige eis cruentas plagas, & vulnera  
 sexcenta Salvatoris mei. O si possem  
 qualicumque meâ tormentorum tole-  
 rantia redimere vitam mei amabilis Ie-  
 su, quàm cuperem iis emori! quàm  
 vellem enecari! libens mille subirem  
 Martyria, ut ipsi redderem vel unicum  
 vitæ momentum. Sed actum ago; ipse  
 mortuus est: non respirat amplius, lan-  
 guet totus, nullum restat indicium vi-  
 ventis. Age ergo Magdalena, & tu  
 morere; morere in hoc supplicii thea-  
 tro: oportet te ad pedes amantissimi tui  
 Domini, qui te tantoperè & amavit,  
 & dilexit, fidelem emori: vel si idip-  
 sum ille non sinat; deinceps inter suspi-  
 ria; inter singultus ac lacrymas; lugu-  
 brem,

brem, imò mortuam duces vitam: et si creaturæ interrogent hujus causam; dicet audacter, quod fidelis Magdalena, amatrix fortis, obitum sui Domini super omnia dilecti continuo & in ævum, deplorare juraverit.

Quam primùm nunc Dominus noster Jesus in manus æterni Patris suam animã reddiderat; Joseph ab armathæa nobilis decurio, obtento à Pilato corpore Jesu; ipsemet cum perquam honorate Viro Nicodemo, & Joanne Evangelista, exanime corpus de cruce defigunt, & in virginea brachia dolorosæ mateis Suaviter dimittunt. Ecce jam stringit amplexu divinum hoc depositum fidelissima Mater, quo sensu, quo cordis motu? pie lector, considera. Fili mi, exclamat, quis te morte tam miserabili condemnavit? quis te tam crudeliter deformavit? O adorandum caput! dignum portare coronam immortalis gloriæ, quis te spinis transfodit? O blanda facies! plena illecebris! quæ ipsos angelos venustate tuâ stupentes, in admirationem rapiebas; quis istam tuam pulchritudinem, quis vultus amœnam

*Depositu-  
tum de  
cruce cor-  
pus, di-  
mittitur  
in brachia  
matris.*

*Lamentã  
Matris.*

nam guatiam & decorem, ita obliteravit? O formosi, plus quam Sol radiantes oculi! quis vestrum fulgorem extinxit? O genæ! O labia! O suavissimum os! quis vestrum florem, quis purpurissimum, quis roseum nitorem ita hebetavit? es ne tu fili mi, formosus ille præ filiis hominum? unde ergo hic squalitus pallor? hæc livida contusionis? hæc cruentæ plagæ? hoc sanguinis coagulum? hæc tanta deformitas? O sacrum Pectus! O apertum latus! O cor lanceâ perfossum! O exsanguis venæ! O dorsum, virgis, flagellis, catenis conscissum, discerptum, dilaceratum! O luxata brachia! O manus! O pedes clavis perforati! estne fili mi, tuum corpus, quod video: an alterius cujusdam furciferi ah nimis, quam vellem, benè video; est, est ipsissimum corpus tuum. Exosculer ergo hoc divinum corpus sic malè laceratum: adorem illud piissimè; ut fixis osculis & impensocultu, refarciam quodammodo contumelias quibus impiissimè affectum fuit. Non cessabo crebra reddere oscula aperto lateri, Charitatis fonti, ostio cordis mei Jesu. Et cur non intro per hanc

hanc portam? quare non commorabor  
 ibidem abscondita reliquo vitæ meæ  
 tempore? & si me mortales requirant;  
 veniant, me invenient Materno affe-  
 ctu plenam, amoreque raptam, in hoc  
 Sacratissimum latus, velut pretiosissi-  
 mam mundi regiam, animæ meæ requi-  
 em unicam, esse delatam. Recurrit huc  
 traditio Hierosolymitanorum; quod  
 Sancta Mater, omni illo tempore, quo  
 post mortē filii sui, domini nostri com-  
 morata ibidem fuit quotidie obeundo  
 stationes passionis, & secundum facul-  
 tatem suam exiguam, elargiendo eleē-  
 mosynas, unice occupata vixerit. Quid  
 censes prudens lector; nunquid satis est,  
 quod Patitur Deipara, ut meritò in no-  
 vâ nostrâ lege ordinis Crucigerorum  
 fundatrix, ac Martyrum Regina cele-  
 brari queat? de quâ D. Bernardus con-  
 testatur; quod una plus, quàm omnes, *Mater*  
 quotquot fuerant Martyres, passa in *passa in*  
 cruce fuerit Jesu Mater Maria. Du- *filio.*  
 cebatur circulus inter cor Jesu & cor  
 Mariæ volvebatur gyros inter oculos  
 filii, & oculos Matris sympathya  
 prævalebat inter corpus Jesu, & corpus  
 animæ Mariæ: Sensibilis dolor, pri-  
 ma

ma passio cœpit in corpore & animo Salvatoris mox inde per oculos hausta, penetravit in viscere Matris, cujus ipsius animam doloris gladius pertransivit: quidquid filius patiebatur in corpore, id totum Mater amarissimè Sentiebat in corde.

*Prosequitur funus inferendum sepulchro.*

*Torma sepulchri.*

Cum jam teneritudini materni affectus indulisset non nihie magna Mater, tradidit gratissimū pignus, Sacrum funus mixturâ Myrrhæ & aloës condendum; ac porrò in sepulchrade monumentum, quod Joseph ab Arimathæa, in horti sui Galvariæ rupis contigui, declivi petrâ, novum ac nobile, pro sua quidem aliquando sepulturâ excindituraverat; at nunc opportunè, defuncto suo Domino, amoris & honoris ergò consecrandum præoptabat, piè inferendum prosequebatur. Referebat monumentum hoc, conclave aliquod parvum in quadro septem circiter pedibus longum ac latum, octo pedibus altum erat in medio figurata ex saxo ara, super quâ mortuum Salvatoris corpus repositum conquiescebat: ostium habebat a deo humile, ut non nisi incurvo corpore in-

introire quis posset: nunc circumdaturum est præclaro Sacello: quadraginta tres lampades argenteæ, & aurea una unionibus, lapidibusque pretiosis decorata, diu noctuque ardentes, faciunt Sacratum hunc locum, prorsus eximiam spirare Sanctitatem. Postquam Joseph corpus sindone involutum posuerat in monumento, advolvit Saxum magnum ad monumenti ostium, & abiit. Manebant autem Maria Mater Jesu, Maria Magdalena, & alia mulieres piæ; sedentes contra sepulchrum; usque dum eas ingruens nox compelleret ad Civitatem regredi.

Eja ergo, Dolorosa Mater, regredere unâ cum pio fidelique Sociarum tuarum agmine: compone aliquantulum afflictam tuam animam ad quietem. Agnosceimus te crucigerorum exercitus, post tuum filium, virum dolorum supremam Ducem, veneramur te afflictorum Principem, te Martyrum Reginam imploramus; ut nobis tuis asseclis, crucem post te trahentibus, crucifixi filii tui gratiam impetrare; tuumque ma-

K 3

ter-



ternum solatium in calamitatibus nostris impertire, non dedigneris. Sic ave, sic fave, & vale Maria.

Alterâ die, cum Principes sacerdotum & Pharisei munirent sepulchrum; signarent lapidem; milites apponerent custodes; interdicebatur piis omnibus accessu. Attamen inconsolabilis, sine Jesu inquieta, Maria Magdalena; continuo accurrebat; vel remotè visura sepulchrum. Dum secundâ luce, valdè mane, veniret ipsa & Maria Jacobi & Salome, aromatibus instructæ ut ungerent Jesum, sollicitæque ad invicem dicerent quis revolvat nobis lapidem? respicientes? viderunt revolutum: & introeuntes in monumentum viderunt Angelum sedentem à dextris, coopertum stolâ candidâ: & obstupuerunt: qui dixit illis: nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum Crucifixum: surrexit, non est hic; venite, videte locum, ubi positus erat Dominus: præcedit vos in Galilæam; ibi videbitis eum. O Angelum bonum! quàm variè

*Tres Mariae ad monumentum eunt.*

*Jesum resurrexisse intelligunt.*

variè ad hoc tuum nuntium concer-  
 tabant affectus in piis hisce fœminis !  
 lætari debebant ob victoriosam Chris-  
 ti resurrectionem : contristari non  
 desinebant ob Dominum non amplius  
 repertum , non visum , non saluta-  
 tum. Vehementiori Magdalena te-  
 nebatur amore simul & dolore : ite-  
 ajebat ad socias suas : redite do-  
 mum : ego hic in horto propè monu-  
 mentum commorabor. Paulò post  
 sola , liberalius vacabat mœrori ,  
 ah ! ajebat , quid egisti Magdalena ?  
 cur unquam ex hoc loco recessisti ?  
 cur non unà cum illato Domino in  
 monumentum ingressa , in eodem per-  
 severasti mortuo conclusa ? ah nunc !  
 quæ nam tandem dies reddet mihi di-  
 lectum meum ! quodvis temporis mo-  
 mentum mihi annus est : minima  
 hora ævum. In his lamentis perfusa  
 lacrymis , ardens desideriis , jam se in-  
 clinas prospiciebat in Sepulcrum , jam  
 antè illud stans , foris plorabat ,  
 jam in horto inambulans omnia luf-  
 trabat ; ubique unum quærens , u-

*Magdale-  
 na in hor-  
 to indulge-  
 bat affe-  
 ctibus.*

*Vidit, non  
agnovit  
persona-  
tum Do-  
minum.*

num Dominum expetebat. Conversa retrorsum, Joannis 20. vidit Jesum stantem, & non sciebat, quia Jesus est: dicit ei Jesus, mulier quid ploras? quem quæris? illa existimans, quia hortulanus esset; dicit ei: Domine si tu sustulisti eum; dicit mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Rectè Magdalena, urge, insta, virum tenes: ille, ille est, qui sustulit eum; dicat, ubi posuerit eum; sed, nonne vides, ubi posuit eum? ibi ubi vides eum, posuit eum, & ego, inquis, tollam eum; quomodo Magdalena? tu tenera mulier tolles virum? intelligo: fortior te ipsa est dilectio tua. Sed ecce personatus hic hortulanus, solito Magdalenam nomine compellat, & vocat Mariam: quâ voce auditâ, hortulani persona ponitur, & Jesus agnoscitur. Conversa Magdalena dicit ei, Rabboni, id est, Magister: ac veluti humo sublata, cupidis lacertis ad volat ad amplexandum: at Jesus continet suavissimum fervorem; arcet à caro amplexu, & dicit ei: noli me tangere, nondum enim ascen-

di

*Agnoscit  
Jesum.*

di ad Patrem meum. Magdalena amico  
hoc repulso amplius inflammata; dispa-  
rente Domino, remanet toto pectore  
peramans, spontanea ac perpetua a-  
moris Sancti Captiva.

*Manet  
captiva  
amoris.*

Nobile Magdalenaë castrum ob ex-  
hibita Domino obsequia jam dudum  
Pharisæis redditum fuerat invisum :  
post necem denique Salvatoris, suum  
virus & odium apertius evomebant in  
ejusdem incolas, binas Christo charis-  
simas Sorores Mariam Magdalenam &  
Martham, & earum Fratrem, resusci-  
tatum Lazarum : quos omnes una cum  
aliis Christianis comprehensos, in na-  
vem sine velo ac remigio, impositos,  
turbulento Castissimoque, mari ad  
certum naufragicem, barbarè com-  
mittebant. Ast verò navis, gubernante  
genio probo, salvis omnibus Massili-  
am appulsa fuit. Ubi tandem Lazarus  
Massiliensium creatus est Episcopus.  
Martha mirabili vitæ sanctitate, & cha-  
ritate singulari, in locum à viris remo-  
tum, cum aliquot honestissimis fœmi-  
se recepit : unde, dum vixit miraculis  
clara, migravit ad Dominum. Magda-  
lena

*Exponi-  
tur mari  
cum Soro-  
re & Fra-  
tre.*

*Adit solitudinem.*

*Cux antro praefigitur*

lena verò orationi & pedibus Domini assueta; ut, quam elegerat, optimâ parte contemplandæ cœlestis beatitudinis frueretur quietius in vastam altissimi montis speluncam se contulit; ubi ab omni hominum consuetudine disjuncta incomparabilis hæc crucifixi Jesu a-matrix, imprimis rogavit Dominum suum Jesum, ut qui potissimum pietatis actu se distentam amet; quibusque ad suum ergâ ipsum amorem quotidie contestandum, mentis affectibus occupandam cupiat, sibi declararet. Misit ad eam Dominus Angelum præferentem manibus Crucem; quâ ante fores ipsius antri collocatâ, commendavit Magdalena, ut Cruci quotidie adjiciat oculum, ac mysteriis in ea gestis animum pascere ac exsaturare non cesseret. Id quod Magdalena, annis quibus ibidem solitariè vixit, triginta duobus constanter præstitit, non raro, (sunt qui asserunt quotidie,) ex hoc exercitio, ad audiendos cœlitum canentium choros, ab Angelis delata super sidera.

Ecce

Ecce Cruces propinquorum, & quos unquam mundus, habuit amantissimorum Christi mortalium: nec ab his longius abibo. Unicum adhuc nostri temporis perinsigne Crucis specimen, quò agmen iustorum claudam, salva, ut sperem patientis gratiâ, spectandum profero.

## CRUX CÆSAREA

Justi Imperatoris.

## LEOPOLDI

Speñator adstet Orbis: Supremus Mundi Monarcha paritur. En in publicum procedit Crucifer Leopoldus, Romanorum Imperator Augustissimus: Invictissimus Cæsar, Rex potentissimus, Dei cultor eximius; divinæ legis observantissimus Princeps.

Hic ego, Lector benevole, non tam fidem tuam ex solo auditu imploro, quam oculos apertos postulo, ut ea, quæ hac nostrâ ætate, dicam, an tempestate, in conspectu tremebundæ totius Europæ gesta sunt; velut repræsentata obtutibus nostris spectacula, quasi coràm contemplemur.

Coepe-

Cœperunt perduelles nequam in  
 Clementissimi Principis, Domini sui  
 vitam, qui nullum unquam læsit, qui om-  
 nibus semper & ubique benefecit,  
 impiè grassari veneno: rebellionem in  
 eum consurgere: armis infestis impete-  
 re: juratum Christiani nominis hostem,  
 magnum Turcam simul commovere:  
 ante Viennam Imperatoriam sedem,  
 tam armorum; incredibili apparatu,  
 quam armatorum innumerabili copia  
 tremendum, inopinato scedifragum,  
 adeoque planè expectatum inimicum,  
 sceleratissimè pertrahere. Implebatur  
 illud Esdræ lib. 4. cap. 16. *Erunt quasi  
 insani, nemini parcentes, ad diripien-  
 dum & devastandum timentes Domi-  
 num: quia devastabunt & diripient  
 substantias, & de domibus suis eos eji-  
 cient.* Namque Augustissima Domus  
 conjicitur in subitam fugam: Austria  
 solvitur in genitum: Germania concu-  
 titur tremore: boni omnes luctu com-  
 plentur: Agonizare credebatur Roma-  
 num Imperium; certè nil tristius isthoc  
 luctuoso statu, nihil acerbius, pericu-  
 lique plenius, sibi fingere quispiam po-  
 terat

terat. Omnis status, omnis sexus, omnisque æstas, confugiebant ad preces; protrahebant jejunia; eleëmofynas elargiebantur. Exaudivit misericors Dominus supplicantium vota; Esdræ libro & capite citato: *audite, dicit Dominus, dilectimei; & de his liberabo vos: parebit probatio electorum meorum, ut aurum, quod probatur ab igne: ne timeatis, nec hæsitetis, quoniam Deus dux vester est.* Et mox forti omnipotentis brachio, cæsus hostis profligatur, obsidione liberatur Vienna, triumphans Cæsar restituitur, Europa afflicta recreatum, totus Mundus in laudes immortales, gratesque Servatori ferendas, redivivus animatur.

Gratulabor tibi Lector benevole, si vitæ morumque tuorum integritate, eò improbitatis assurrexeris; ut cum celebrata per Orbem Austriaca pietate eximiâ, tuam quoque modo valeas æquiparare: gratulaturus amplius, si etiam adversitatem parem, æqualemque Crucem, vel nunc te premere; vel certè aliàs pressisse, me edocueris, quantum enim in Cruce gloriari audes, tantum



tum de gratiâ amoreque Dei lætari te posse, indubitatum certumque teneas. Huc planè referendum est illud Angelicum Raphaëlis ad Tobiam effectum: *quia accepta erat Deo Augustissima Domus Austriaca, necesse fuit, ut hæc tentatio probaret eam.* Et conforme est proverbiorum tertio sapientis dictum, *quem diligit Dominus, corripit: & quasi Pater in Filio complacet sibi. Ne paveas repentino timore, irruentes tibi potentias impiorum; Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris.* Agnovit veritatem hanc ipse Ethnicus Seneca, libro de providentiâ, capite quarto, ubi sic attestatur: *Deus, quos probat, quos amat; indurat, recognoscit, exercet: eos autem, quibus indulgere videtur, molles venturæ malis reservat. Erratis, si quem judicatis esse exceptum; veniet ad illum diu Felicem sua portio: quisquis videtur dimissus esse, dilatus est.* Quid accommodatè magis ad sacras paginas ab Ascetâ Christiano pro-

proferri potuisset? Divus Gregorius non veretur apertius eloqui: his te, quisquis in Mundo mortalis degis, rotundè alloquitur: *minus piè vivis, si minus persecutionem pateris.*

Constat itaque ex lege veteri, confirmatur in lege nova, demonstratur ad oculum ætate hac nostrâ, in primo

Obis capite, exemplo longè illustrissimo, esse fatum.

Justorum inevitabile,  
pati.



AGMEN

# AGMEN PECATORUM

In Cruce

## RESIPISCENTIUM.

**Q**uemadmodum placet divinæ Providentiæ, adversitatibus exercere Justos, ut omnis fragilitatis humanæ nævus ab eis sustollatur; atque eò conformiores patienti Domino redditi, ad majus præmium in cœlis consequendum, gratiosè disponantur: ita Salutare adversitatum plagas, infligit Peccatoribus; ut potius in hac vita leves ac breves, quàm in alterâ graviores & longas, delictorum admittorum pœnas exsolvant; Deumque quem peccando insanè deserverant, mox Sanctè pœnitendo, festinent requirere. Psalmo 88. Si justitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum. Et Levitic. 26. quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, sed spreveritis

ris leges meas; ego quoque hoc faciam vobis: visitabo vos velociter in egestate & ardore: addam correptiones & plagas vestras usque in septuplum propter peccata vestra tunc orabunt pro iniquitatibus suis, & rogabunt pro peccatis suis, eò quòd objecerint judicia mea, & leges meas despexerint. Non aberit ergo à peccatoribus tribulatio; manebit illos fatum inevitabile, Pati. Sed heu! quàm imprudens ac damnosus est peccatorum quorumcunque mercatus! qui simplicem illam, quam suã peccandi libidine conducunt illecebrosam labem, septemfluo expiationis allapsu, tenebuntur diluere. Prudentes interim & ter fortunati, quod in ejusmodi afflictionibus sibi immixtis, paternam corripientis Dei manum agnoscentes, eam ab iniquitate suã aversi, humillimè exosculentur, ducemque ad justitiæ salutisque semitam, pœnitentes sequantur.

L

CRUX

## C R U X

Davidis. 2. Reg. 11. & 24. peccatis.

**D**AVID vir secundum cor Dei, Rex in Israël, qui & leonem & ursum magnanimus trucidaverat, & immane illud monstrum hominis, Philistinorum fortissimum Goliath, gloriolissime prostraverat; qui, quot bella gessit, tot victorias triumphosque numeravit; dominabatur omnibus, neminem non vincebat: ille invictissimus David, pro pudor! vincitur à semetipso: dominatum concupiscentiæ, cui fœdè succubuit, probrosè patitur: debellatur ab infirmâ carne, capitur speciosâ formâ; ab imbelli feminâ superatur.

*Deperit  
Bathsabam.*

Post meridiem deambulans in solarium domûs regię, vidit ex adverso super solarium suum, mulierem se lavantem: erat autem mulier pulchra valdè, quam hic oportune cecinisset Deo illud Psalmi sui 118. Averte oculos meos, ne vi-

videant vanitatem sed impetitur David  
cupidinis jaculo; vulneratur amoris ictu,  
concitatur in venerem: nec nisi sublatâ  
ad se quâ visâ flagrabat, Bathsabâ,  
Uriæ Hethæi uxore, restingui poterat,  
effrenatus æstus. Hoc quamvis suavi,  
admodum tamen gravi carnis lapsu,  
Urias ruri in castris degens, simul  
oppressus extinctusque jacebat. Jam-  
que David, & adulter & homicida,  
introduxit Bathsabam in domum su-  
am, & facta est ei uxor, peperitque  
ei filium. O David! hoccine faci-  
nus est viri secundum cor Dei? dis-  
plicuit, quod fecerat David, coram  
Domino, missusque Nathan his Davi-  
dem effatur: Hæc dicit Dominus De-  
us Israël; quare contempsisti verbum  
Domini, ut faceres malum in conspe-  
ctu meo? Uriam Hethæum interfecisti  
gladio filiorum Ammon; & uxorem  
illius accepisti in uxorem tibi: itaque  
hæc dicit Dominus: ecce ego suscitabo  
super te malum; non recedet gladius  
de domo tuâ; & tollam uxores tuas  
in oculis tuis, & dabo proximo  
L 2 tuo:

*Indicatur  
pena.*

tuo: tu fecisti absconditè, ego faciam  
 verbum istud in conspectu omnis Israël,  
 & in conspectu solis hujus. Filius, qui  
 natus est tibi, morte morietur, percul-  
 sit quoque Dominus parvulum quem  
 pepererat uxor Uriæ, & desperatus  
 est & dixit David, peccavi Domino:  
 deprecatusque est Dominum pro par-  
 vulo; & jejunavit jejunio, & ingres-  
 sus scorsum jacuit super terram: dicebat  
 enim: quis scit, si fortè donet eum  
 mihi Dominus, & vivat infans.  
 Die septimâ autem mortuus est in-  
 fans.

*Absalon  
 rebellat.*

Absalon 2. Reg. cap. 15. & 16. Strin-  
 git gladium contra David, filius con-  
 trà Patrem, conjicit Patrem in fu-  
 gam, regnum occupat. Tetenderunt  
 Absalonitabernaculum in solario, in-  
 gressusque est coràm universo Israël, ad  
 concubinas Patris sui; quarum decem  
 numero, ad custodiendam domum, à  
 fugiente Rege relictæ fuerant, quàm  
 in his decem pro unâ Bathsaba, abun-  
 danter additur correptio usque in sep-  
 tuplum ubi? Levit. 26. Minatus est  
 Dominus peccatori.

*Postea.*

Posteaquam Absalon de quercu *Reensio*  
 pendens tribus lanceis à Joab Belliduce *populi.*  
 transfixus interiisset, jamque regnum  
 à Davide Hierosolymam reducto, re-  
 cuperatum esset; consurrexit Sathan, ut  
 Lib. 1. cap. 21. Paralipomenon legitur,  
 & incitavit David, ut numeraret Israël  
 Dixitque David; ite numerate Israël, &  
 afferte mihi numerum, Respondit Joab;  
 quare hoc quærit Dominus meus, quod  
 in peccatum reputetur Israël? sed Ser-  
 mo Regis, magis prævaluit. Egressus  
 est igitur Joab & Principes militum,  
 & lustratâ universâ terrâ, affuerunt  
 post novem menses & viginti dies, de-  
 ditque Joab numerum descriptionis  
 populi Regi; & inventus est numerus  
 Israël, mille millia, & centum  
 millia virorum, educentium gladi-  
 um. De Judâ autem, quadringenta  
 septuaginta millia bellatorum. Levi  
 & Benjamin non numeravit, eò  
 quod invitus exequeretur hoc  
 Regis imperium. Vix gloriari con-  
 cessum est Regi hac suâ tumidâ vani-  
 tate: Cor enim inquietum percussit  
 Davidem; & dixit ad Dominum: Pec-



*Patur op-  
tio trium*

cavi valde in hoc facto : precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultè egi nimis. Et sermo Domini factus est ad Gad Prophetam, dicens: vade & loquere ad David : hæc dicit Dominus : Trium tibi datur optio : elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi. Aut septem annis veniet tibi fames in terrâ tuâ, aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & isti te persequentur : aut certè tribus diebus erit pestilentia in terrâ tuâ, nunc ergo delibera, & vide quem respondeã ei, qui me misit, sermonem. Dixit David ad Gad; coarctor nimis, & ex omni parte me angustia premunt : sed melius est, ut incidam in manus Domini, multæ enim misericordia ejus sunt, quàm in manus hominum. Misit ergo Dominus pestilentiam in Israël, & ceciderunt ex populo septuaginta millia virorum, cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Hierusalem, ut disperderet eam, vidissetque David Angelum stantem inter cælum & terram, & evaginatum gratium in manu ejus, versum contrâ Jerusalem, ceci-

ciderunt tam ipse, quam majores natu,  
vestiti cilicis proni in terram, clama-  
vitque David ad Dominum; ego sum,  
qui peccavi, ego iniquè egi; isti qui o-  
vesunt, quid fecerunt? vertatur ob-  
secro manus tua contra me: popu-  
lus autem tuus non percutiatur. Mi-  
sertus est Dominus super afflictionem  
& magnitudinem mali, & ait Angelo  
percutienti, Sufficit, nunc contine ma-  
num tuam, obtulitque David holo-  
causta & pacifica, & propitiatus est do-  
minus terræ: & cohibita est plaga ab  
Israël. David exclamabat Psalmo 117.  
Castigans castigavit me Dominus: im-  
pulsus eversus sum ut eaderem: & do-  
minus suscepit me, adhæsit pavimento  
anima mea: de tribulatione invocavi  
Dominum & exacudivit me confite-  
bor tibi, quoniam exaudisti me,  
& factus es mihi in salutem  
nunc juravi & statui  
custodire judicia  
justitiæ tuæ.

†

L 4

CRUX

# CRUX

Manassis 4. Reg. 21. delinquentis  
ætatis.

**M**Anasses ab suæ duodecimo, quin-  
quaginta quinque annorum Rex  
in Jerusalem, solemniſſimè intrat in cru-  
cigerorum agmen : expectabitis re-  
gium, adoque magnificum proceden-  
dis splendorem : caput diademate & au-  
ro redimitum, humeros paludamento  
radiante purpuratos, pollentem Scep-  
tro manum, frontem, oculos, vultus,  
non interiturum hominem, sed immor-  
talem quendam Deastrum præferen-  
tes. Fuerunt hæc, verum est, nativa Ma-  
nassis insignia ; sed heu ! evanuerunt :  
conglomerata illius scelera confusca-  
runt hæc omnia ; sistunt Regem captivum,  
non gloriosè, ut militem strenuum ad-  
versâ acie interceptum, sed propudio-  
sè, ut impietatis strategum malitio-  
sissimum, nefariorum suorum crimi-  
num poenas pendentem, capite nu-  
dum, manus gerentem constrictas ;  
pe-

pedes vinculis irretitos, succutientem humeros, ægrè trahentem lumbos, catenato ferro aggravatos. Res ita se habet.

Fecit Manasses malum coram Domino: Construxit aras Idolis, adoravit omnem militiam cœli, & coluit cunctum exercitum ejus: traduxit Filios suos per ignem: observabat somnia: sectabatur auguria, maleficis artibus inserviebat: habebat secum Magos & incantatores, multaque mala operatus est coram Domino, ut irritaret eum: insuper & sanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleretur Jerusalem usque ad os. Locutusque est Dominus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerunt.

*Peccata  
Manassis*

Denique locutus est Dominus in manu servorum suorum Prophetarum, dicens: quia fecit Manasses Rex Judæ abominaciones istas pessimas, propterea hæc dicit Dominus Deus Israël; ecce ego inducam mala super Jerusalem & Judam: ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus. Delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ; delens

*Mina di-  
vina.*

vertam, & ducam crebrius stylum meum super faciem ejus : dimittam reliquias hæreditatis meæ, & tradam eas in manus inimicorum ejus eruntque in vastitatem, & in rapinam cunctis adversariis suis, eò quod fecerunt malum coràm me & perseveraverunt irritantes me.

*Peccator*      Compleverunt illud Isaïæ cap. 42.  
*surdaster.*      quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi ? noluerunt in viis ejus ambulare, & non audierunt legem ejus. Verè solus deus dici potest habere servos surdos, qui imperata ejus non audiant : Mundus habet suos, qui ad omnia ejusdem imperia, & oculos, & aures, & corda & pedes, semper prompta, cuncta, aperta, & attenta præbent. Ubi deus queritur de rebelli surditate suorum ; ibi mundus exultat & lætatur de obsequiosâ auscultatione famulorû suorum : omnes & singuli attentivi vivunt ad res suas plerasque, præterquam ad eas quæ deum & salutem concernunt : in his detrectamus audire veritatem & cernere lumen, quib<sup>9</sup> dirigamur, abdunt sese complures, & recludunt in tenebras

bras cordium suorum, cogitationem-  
que depravatarum malignitatem, & in-  
telligere cavent ea quæ dei & salutis  
suæ sunt: ne veritate perspectâ, cogantur  
amplecti saniora. Non reperit insani-  
am in suis tam enormem Mundus, ut  
quis depressus in abstrusum lacum, res-  
puat porrectam sibi manum ad extra-  
hendum paratam: hanc verò vesaniam  
fermè quotidie suffert in suis longani-  
mis deus: inspirationibus internis, ver-  
bo palàm prædicato, submissis monito-  
ribus porrigit dexteram, à vitiis ad vir-  
tutem, ab iniquitate ad justitiam, à per-  
ditione ad salutem, gratiosè retractu-  
ram. At detrectat cum Manasse pecca-  
tor, donec tandem contempta nimi-  
um divina bonitas justitiæ locum cedat  
quæ provocet iras, pœnasque deposcat:  
quemadmodum in Manasse factum  
scriptura testatur. Idcirco ait, superin-  
duxi eis Principes exercitûs Regis Af-  
syrriorum, ceperuntque Manassen, &  
vinctum catenis atq; compedibus dux-  
erunt in Babylonem. Paucis hisce  
plura, eaque grandia mala comprehen-  
dun-

*Manasses  
captivus*

duntur: Assyriorum insolens victoria, internecina Manassis clades; superbus istorum triumphus; hujus contumeliosus contemptus. Manasses suorum Dux, Imperator & Rex capitur: vinculis, catenis, manicis, compedibus illigatus, ut portentum iniquitatis abominandum, confluentibus gregatim plurimis hominum millibus, ducitur in Babilonem, quantâ Assyriorum gloriâ, tantâ sui suorumque despicientiâ. O Manasses! jam minimè Rex, propudium Regum, Assyriæ mancipium, populi ludibrium, quid agis? cur reluctaris Domino? locutus fuerat Dominus ad te, & attendere noluisti: perseverasti irritans eum: ideo tradidit te in manus inimicorum tuorum, quò nunc Manasses? ad quem confugies?

*Manasses  
pœnitens.*

Postquam coangustiatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valdè coràm Deo; deprecatusque est eum, & obsecravit in hæc verba: Domine Deus omnipotens Patrum nostrorum, Abraham, Isaac & Jacob, & seminis eorum justis: qui fecisti cœlum & terram, cum omni ornatu eorum;

qu;

qui signasti mare verbo præcepti tui :  
qui conclusisti abyssum, & signasti ter-  
ribili & laudabili nomini tuo, quod om-  
nes pavent, & tremunt à vultu virtutis  
tuæ; & insustentabilis ira super pecca-  
tores comminationis tuæ: immensa  
verò & investigabilis misericordia pro-  
missionis tuæ, quoniam tu es Dominus  
Deus altissimus super omnem terram,  
longanimis & multum misericors, &  
pœnitens super malitiam hominum. Tu  
autem Domine secundum bonitatem  
tuam promisisti pœnitentiam remissi-  
onis peccatorum: & tu Deus justorum  
non posuisti pœnitentiam justis, Abra-  
ham, Isaac & Jacob, his, qui tibi non  
peccaverunt. Quoniam peccavi super  
numerum arenæ maris; multiplicatæ  
sunt iniquitates meæ, incurvatus sum  
multo vinculo ferri, & non est respira-  
tio mihi; excitavi iracundiam tuam, &  
malum coram de feci; statuens abomi-  
nationes ut multiplicans offensiones; &  
nunc flecto genua cordis mei, precans  
à te bonitatem Domino. Peccavi Do-  
mine, peccavi & iniquitatem meam  
agnosco: peto roganste Domine, re-  
mitte

mitte



mirte mihi ne simul perdas me cum iniquitaribus meis, neque in æternum reserves mala mihi: quia indignum salvas me, secundum magnam misericordiam tuam: & laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ: quoniam te laudat mundi virtus cœlorum, & tibi est gloria in secula seculorum, amen. Et exaudivit deus orationem ejus reduxitque eum Jerusalem in regnum suum, & cognovit Manasses, quod dominus ipse est Deus. Instauravit altare domini, & immolavit super illud victimas, & pacifica, & laudem. Præcepitque judæ, ut servirent domino deo Israel.

## C R U X

Nabuchodonosoris Dan. 4. Superbientis

**N**abuchodonosor Rex Babylonis, inquietus in domo sua & florens in palatio suo, in aula Babylonis deambulabat, ajebatque: Nonne hæc est Babylon Civitas magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? sciat omnis gens quoniam Nabuchodonosor

for Deus terræ est, & præter ipsum ali-  
us non est ah! quid ais Nabuchodonosor!

*Vox de  
cælo.*

ausculta, resonat æther: Nonne Rex est  
Chamæleon? metamorphosis magna,  
quâ transformabit eum Dominus, quasi  
in speciem bovis? nonne hæc est Baby-  
lon, magnum boarium stabulum? Cum  
sermo adhuc esset in ore Regis, vox de  
cælo ruit: tibi dicitur Nabuchodonosor  
Rex; regnum tuum transibit à te & ab  
hominibus ejicient te; & cum bestiis &  
feris erit habitatio tua; fenum quasi bos  
comedes: & septem tempora mutabun-  
tur super te, donec scias, quod domine-  
tur excelsus in regno hominum, & cui-  
cunq; voluerit, det illud. Eadem horâ ser-  
mo completus est super Nabuchodono-  
sor, & ex hominibus abjectus est, & fe-  
num, ut bos comedit, & rore cæli cor-  
pus ejus infectum est, donec capilli ejus  
in similitudinem aquilarum excresce-  
rent; & ungues ejus quasi ungues avium.  
Stupendum orbis Spectaculum! ex ho-  
minibus ejicitur homo; Rex stabulatur  
cum pecude: pascitur cum feris: ore  
bos, capillis, aquila ungvibus avis, toto  
corpore bestia. Quid Philosophi mul-  
tùm fatigamini confingendo vestrum

*Metam-  
orphosis.*

*Ens ratic-  
nis.*

fa-

famosum illud ens rationis? ubique enim inquiritis, nūm alicubi lateat aut Hirco cervus aliquis, aut Hippos centauros mirus: Babylonē subite, & Nabuchodonosorem contemplete in hominibus; deinde docete nos, quid hominis, quid Regis? quid bipedis, quid quadrupedis? quid bovis, quid volucris? quid veridem pecoris aut monstri invenentis. Invenimus inquit Danielis 2. in humiliato hoc biformi Rege; quod Deus excelsus signa & mirabilia fecerit: signa magna, mirabilia fortia: quod Deus Deorum sit, & Dominus Regum; cujus Regnum, Regnum sempiternum, & potestas ejus in generatione & generationem. Septem quoque tempora mutabuntur super te Nabuchodonosor, donec scias, quod dominetur excelsus super Regnum, hominum. Ad quid septem tempora? ergone tam indoctus cordis, tardusque mentis es? ut donec scias, mutanda sint septem tempora? nunquid quando vidisti, Sidrach, Misach, & Abdenago, servos Dei vivi ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis; quamprimum erupisti in

*Septem  
tempora  
expen-  
duntur.*

has voces? egredimini & venite : Benedictus Deus Deorum, qui misit Angelum suum, & eruit servos tuos, qui crediderant in eum ? nunquid statim posuisti decretum ? ut omnis populus, tribus, & lingua, quæcunque locuta fuerit blasphemiam contra Deum, dispareat, & domus ejus vastetur ? neque enim, aiebas, est alius Deus, qui possit ita salvare; quomodo ergo nunc septem tempora præscribuntur; donec scias, quod domuetur Dominus ? an non sat longo unius anni intervallo, aut mensis etiam, hebdomadæ; imò diei aut horæ brevioris spatio, sub magisterio tantarum plagarum, ubi tam grande solvitur didactrum, theologiam hanc capere, Deumq; agnoscere sategisses ? Dubium non est, quin in sensu intellectuæ Reges, infra vulgus, ad pecorum sortem depressi, seu dies, seu hora unica, tam enormibus aggravatur ærumnis, suffecisset ingenerare ideam supremæ alicujus Majestatis divinæ: Sed verbum Domini, quod manet in æternum, hic correptionis suæ septuplum exigere notatur. In anno secundo regni, vidit Nabuchodonosor horum suorum

M

ma-

malorum præfaga somnia, Danielis  
 2do. Anno proinde uno, in elatione me-  
 ntis superbite, impunè ei licuit: &  
 cap. 4. Idem indicatur: omnia  
 hæc venerunt super Nabuchodonosor  
 regem, post finem mensium duodecim,  
 in aula Babylonis deambulantem. Si-  
 nunc correptio, uti pronunciatum  
 vindice Deo, pro peccatis addenda in  
 septuplum; pro uno fastuoso anno, sep-  
 tem humiles subeundi sunt; adeoque  
 veniunt mutanda super eum septem  
 tempora. Vide Peccator, qui pluribus  
 annis, in peccatis tuis te inveterascere  
 parvi pendis, quousque correptionis  
 tuæ septuplum sit ascensurum resipis-  
 ce, Deum time. Evolutis his septem  
 temporibus, erigitur Nabuchodonosor  
 & sic fari didicit. Post finem dierum ego  
 Nabuchodonosor oculos meos ad cæ-  
 lum levavi, & sensus meus redditus est  
 mihi; & Altissimo benedixi, & viven-  
 tem in sempiternū laudavi, & glorifica-  
 vi: qui potestas ejus potestas sempite-  
 rna & regnum ejus in generatione & ge-  
 nerationem: & omnes habitatores terræ  
 apud eum in nihilum reputati sunt juxta  
 voluntatem enim suam facit, tam in vir-

*Pœna pec-  
 cati sep-  
 tplex.*

*Pœniten-  
 tia & ag-  
 nitio Dei.*

cutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei, quare fecisti? in ipso tempore sensus meus reversus est ad me: & ad honorem regni mei decoremq; perveni; & figura mea reversa est ad me, & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia mea amplior addita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo & magnifico & glorifico Regem Cœli, quia omnia, opera ejus vera: & omnes viæ ejus judicia, & gradientes in superbiâ potest humiliare.

Nabuchodonosor est viva imago veritatis ac minarû, quas c. 28. Isaias indicit superbis: Væ coronæ superbiæ, & gloriæ exultationis ejus: pedibus conculcabitur. Superbia est cæca mentis præsumptio tantò difficilior curatu; quantò magis sopita latet, nec ea, quæ est, aut, videri aut dici amat: cum interea peccatum tale sit, quod minimè tolerat Deus, Creator in Creatura. Ensentium in nihilo. de quo sic ipse loquitur Jerem. 65. Ecce scriptum est coràm me: non tacebo, sed reddam & retribuã in sinum eorum. isti tumus erunt in furore meo, ignis ardens

# CRUX

## Jonæ & Ninivæ.

Jonæ 1. & seq. cap.

**Q**UEM Elias mortuum suscitavit viduæ sareptanæ filium, volunt Hebræi fuisse Jonam: Matre postea dicente ad Eliam; nunc in isto cognovi, quia vir dei es tu: & verbum domini in ore tuo veritas est jundè etiam Jonas, quia ab Eliâ, verum eloquente suscitatus fuit, hebraicâ phrasi dictus est, filius Amathi, id est, cum Amathi veritatem sonet, filius veritatis.

*Jonas  
filius  
Amathi  
dictus.*

Anno circiter 770. Ante Christum, solus & unus ex Prophetis Jonas, missus est ad Gentes, idque in condemnationem Israëlitarum; qui gentilibus, quales erant Ninivitæ, pœnitentiam agentibus, durâ cervice, in malitiâ suâ perseverare non verebantur.

*Quomodo  
iter trium  
dierum  
sumen-  
dum.*

Erat Ninivæ capitalis Regni, & ledes Regis Assyriæ, prægrandis, ac trium dierum itinere per ampla civitas: id

id quod authores non videntur intelligere de longitudine, sed de circuitu ejus, quam 24. leucas continuisse asseverant, quarum octo, in quemvis diem distributæ, secundum veterem computanti methodum, trium dierum iter exactum constituunt. Sicuti nunc luxus & vanitas, & qui inde inferuntur affines vitiorum abortus, in magnis præcipue urbibus invalescunt: ita de Ninive ascendit clamor malitiæ ad deum usque. Ideo factum est verbum domini ad Jonam, dicens: *Surge & vade in Niniven, Civitatem grandem, & prædica in eâ quia ascendit malitia ejus coram me.*

Adeste hic Politici, sapientes hujus *Jonas Politicus.* seculi, qui studetis cor machinationibus tegere; & falsa quævis per ostensionem fingere: videte, quâ palliatâ simulatæ mentis perversitate, quem calidum astum; quo successu ludere conetur Jonas? Jubetur à deo ire in Niniven; aggreditur iter, quis aliud sibi persuadeat, quàm quod pergat ad Ninivitas? hic jam noverat sensum verbis velare: verba sonabant Niniven, sensus



cogitabat Tharsin. Extraordinaria & inaudita hactenus consilia capit Jonas, conatur subducere sese Deo: ut que declinet ablegationem hanc suam, ab divino mittentis conspectu elongare se, clandestinò intendit.

Mi Jona ! quid frustrà contendis quomodo non incidit tibi, quod Davidi, Psalmo 138. Quò ibo à spiritu tuo & quò à facie tuâ fugiam? Tharsis inquit Jonas: ast, nunquid Tharsis alicubi est? an nullibi est, Si nullibi est, Tharsis non est: Si alicubi est, etiam Deus, qui ubique est, ibi est ubi Tharsis est. Fugias, non effugies & cur Deum fugis, quem quærimus omnes? fugio instar Jonas, ne cogar ire in Niniven: Novi ego Dominum & clementiam ejus nimiam: si denuntiavero interitum Ninivitis, & ipsi forsitan penitentiam egerint; miserebitur illorum, & ego inveniar Propheta futilis: non ibo. Profectò nunc mihi facillè persuasero fuisse Jonam resuscitatum illum ab Eliâ, ejusque spiritum à corpore solutum, Deo tantisper conjunctum,

atum, haufisse fingularem illam di-  
vinæ bonitatis cognitionem, qua-  
lem nemo alius Prophetarum,  
qui promptè fibi commiffa exe-  
cuti funt, acquifierit un-  
quam.

Accelerat fugam Jonas, descendit *Fugit Jo-*  
in Joppen, conscendit navem euntem *nas à*  
in Tharfis: dantur vela ventis, *Deo.*

secantur undæ, quodque faustum  
fortunatumque fit, longè post se Jo-  
nas relinquit aridam. Non nisi jam  
cælum spectatur, & æquor: in mag-  
nam inauditam, & obftupescendam  
crucem advehitur Jonas; quem fu-  
giebat Deum nimis misericordem;  
eundem brevi requitet fibi opportunè  
talem. Navigatur placidè; & Jonas def-  
cendit ad interiora navis, & dormie-  
bat fopore gravi. tum subitò inhorref-  
cens mare, paulatim levari fluctusque  
ciere: mox immaniter affurgentes  
undarum undequaue intumescen-  
tium montes, modo ad ufque fidera na-  
vem attollebant; modò procellarum to-  
nitruorumq; mixto fragore dehifcentes,

*Oritur  
tempeftas.*

ad usque tartara horribiliter deprimebant, hic jam pavore perculsi, ceteroquin fortes corporibus, animisque audaciores nautæ, cuncta miscent clamoribus, aut Jupiter moderatur Poli; aut Neptunus dominatur Pelagi; aut uterq; simul irascitur nobis: Clamaveruntque ad Deum. Suum & accessit ad Jonam Gubernator navis, & excitatum increpat: quid tu sopore deprime-  
 ris? Surge & invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, & non pe-  
 reamus. Dixitque vir ad Collegam suum: venite & mittamus sortes, ut sciamus, quare hoc malum sit nobis; & miserunt sortes, & cecidit sors super Jonam. & dixerunt ad eum: indica nobis, cujus causâ malum istud sit nobis? quod est opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo es tu? Hebræus, inquit, ego sum, & Deum coeli timeo, qui fecit mare & aridam. Et timerunt timore magno, ajentes, quid hoc fecisti? cognoverunt enim, quod à facie domini fugeret, quia

*Sors super  
Jonam.*

indicaverat eis Jonas : quid facie-  
mus tibi, & cessabit mare à nobis?  
quia mare ibat & intumescebat super  
eos : respondit Jonas, tollite me, &  
mittite in mare, & cessabit mare à vo-  
bis; scio enim ego, quoniam prop-  
ter me tempestas hæc grandis venit su-  
per vos.

Sistamus hic nonnihil tempestuo-  
sum maris furiosi impetum, & e-  
mergentem ex pelagi tumultu Jo-  
næ crucem tantisper contemple-  
mur. D. Chrysostomus sapienter ad-  
vertit; quod nos Sanctorum, qui-  
bus expositi fuerunt, experimenta  
deprehensa, & discrimina grandia  
æquò minoris æstimemus, eò quòd  
præcognito historiarum eventu, pro-  
bè teneamus auxiliatricem Deima-  
num eis providè paratam temporique  
porrectam, minimè defuisse: hinc hoc  
ipsum, quod nos scimus modò, ipsis  
tunc incognitum incertumque extitisse  
ideoque ad firmiter standum, illudque  
temporis momentum, quo fortè  
decreverit Deus, malis eos eximere

*Calami-  
tas Jo-  
næ gravi-  
or opinio-  
ne.*

M s

præ-

præstolandum, fide magnâ, constantiâque invicta opus fuisse, non sat recognoscimus. Idem sentiendum de præfenti casu Prophetæ Jonæ. Minus admiramur, quod ipsemet postulaverit tolli se, & mitti in mare, quoniam jam tum imbuti notitiâ sumus, quàm admirandâ ratione Deus, malorum omnium discrimini, ipsum subtraxerit. Sed fingat se quis ejus loco consistere, & perpendat secum, quàm desperabundâ desolatæ mentis agitatione, quàmque crudeli afflictissimi cordis mœrore, necesse fuerit pressum dejectumque fuisse id momenti Jonam; quo se iræ divinæ victimam, in profundum maris præcipitandum intelligebat. Sciebat quod irritasset Deum, sentiebat vindicem ejus manum contra se extensam, prospiciebat, quod venturi, quod tempestates, quod maria horrendum exacerbata, abstrusum sibi sepulcrum, in abyssi cavernis minitarentur. In hoc tam terribili lamentabilique statu, Jonas delicti sui veniam, quàm humillimè deprecatus, offert sese in mortem, antè oculos ob-

*Comittit  
se miseri-  
cordia di-  
vine.*

ber.

berrantem: & nescio, quâ tacitè habita spe, conjicit se confidenter in paterna divinæ clementiæ brachia; observando peccatori exemplo, ut si quando data Deo iram exercendi causa, confugiat in sinum misericordiæ ejus inexhaustæ; confisus dicto S. Bernardi: sola spes apud te miserationis obtinet locum; neque ponis oleum misericordiæ, nisi in vasis fiducia.

Remigabant Nautæ, ut reverterentur ad aridam, Jonamque exponerent *Dejicitur in mare.* incolumem potius, quam ut aquis immergerent uno jactu perditissimum: sed non valebant, consilium industriamque superantibus undis: omnis conatus ventorum furiarumque rabie elidebatur. Itaque clamaverunt ad Dominum: quæsumus ne pereamus in anima viri istius: & ne des super nos sanguinem innocentum; quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti: & tulerunt Jonam & miserunt eum in mare, & stetit mare à fervore suo. Transmigraverit haud dubie tempestas omnis in cor Jonæ:

Jonæ:

*Humanitas Nautarum.*

Jonæ : quod fluctuum illisu quassum  
 anxie trepidat ; in quo abjectæ vitæ spes  
 debilis fluctuat , ubi desperatio sævit ,  
 conscientia tumultuat , metus angit ;  
 dolor lancinat , mens agitur , omnia  
 susque deque vertuntur. Deprædica-  
 bimus meritò Navarchi Nautarum ;  
 que horum humanitatem , & im-  
 pensum Jonæ salvandi studium. Hoc  
 genus hominum , uti marinum , ita &  
 quodammodo ferinum , Ethnici om-  
 nes ac Idololatræ , sine cruce , sine du-  
 ce , suo ipsorummet arbitrato viventes ;  
 benevolo suo cum Jona peregrino ac  
 ignoto homine procedendi modo , om-  
 nes æquitatis & charitatis leges ; adeo-  
 que viri metisque Christiani hominis  
 partes , affatim expleverunt. Sors ce-  
 ciderat super Jonam , se fontem diffi-  
 teri non poterat , propter se tempesta-  
 tem sævire ; mare furere ; irasci Numen ,  
 contestatus fuerat. Adhuc benevolen-  
 tia & humanitas navigantium non at-  
 tento suorum omnium præsentis peri-  
 culo , pro uno salvando Jona , diu mul-  
 tumque littus assequi attentabat.

Qualis

Qualis pudor Christianorum? Eth-  
 nicos Idololatrias Christianis plurimis,  
 quibus lex charitatis & mansuetudinis  
 tam copiosè præscripta est, adèdè insig-  
 nitè Christi virtutibus antecellere? ma-  
 lè metuo, ne hoc casu inter hos, incon-  
 ditus quidam turbulenti cujusdam ce-  
 rebri vociferatus insonuisset: quid ad  
 nos iste homo nauci? profugus & va-  
 gabundus socius? quid hæremus? ejici-  
 atur impium caput: cur diu perichita-  
 bimur? demergatur scelestum pecus:  
 pereat invisa cælo bestia. O dedecus!  
 pudeat te dictorum horum, quisquis  
 Christianus ejusmodi crudelitatem ex  
 corde & ore tuo evomis! & vel ab ip-  
 sis tandem Ethnicis mansuetudinem  
 & charitatem Christianam addisce.

*Confusio  
 Christiano-  
 rum.*

Exposcamus nunc paulisper Nauta-  
 rum, imo Orbis universi sensum, quid  
 existiment modo de Jona? Jonas, ne-  
 mo non ait, projectus in mare, immo-  
 latus Neptuno, suffocatus aquis, nunc  
 fluitat cadaver; monstris marinis festi-  
 vum pabulum, hilarè epulandum.  
 Ita esse, nec aliter sentire, humana ra-  
 tio persuadebat. Attamen Dominus,  
 cui

*Piscis ab-  
 sorbet lo-  
 nam.*



cui venti & Maria obediunt, præparavit piscem grandem, ut degluriet Jonam: & erat Jonas in ventre piscis, tribus diebus & tribus noctibus. O præpotens admirandum Numen! hæreo attonitus mente pervolvens, quid nunc demum animi, hoc novi in statu esse potuerit Jonæ? dum me loco ipfius fingo, inhorresco; & jam planè conclamatum, meque consumptum puto.

*Qualis  
fuerit pis-  
cis.*

Sustinent Authores piscem hunc non fuisse cetum; utpote cujus guttur tam laxum non sit, ut hominem integrum (nisi fortè miraculum adjicere velimus) deglutire valeat. Sed quod fuerit vel canis marinus, dictus *Calcharias*, vel alius grandis piscis appellatus *Lamia*. De cane, nisi diversi generis distinguantur, etiam probabile non est: quem enim vidit mihi apprime notus quidam, in arcâ aquæ marinæ innatantem, raritatis causâ ad magnum Germaniæ Principem devehî; superiore corporis parte molossum anglicam mole suâ adæquabar, non excedebat: gerebat caput, primos pedes, demissè pendulas aures, omnia canina: oculos  
volve-

volvebat, ad stuporem magnos, nigros, ac speciosissimos: cæterà piscis, incapax deglutiendi hominis. marinum Iaurum ad hujusmodi bolum educerem potius; quam, quidem vivum pabulato-rem nunquam vidi, excoriati tamen exuvias, detractamque pellem affabrè extentam, inque pedes erectam, multùm admiratus sum: eamque corporis molem, ventrisque capacitatem observa- vi, quæ amplitudine suâ, & sutori si- mul ac sartori officinas sat amplas exhi- beret, eosque opificia sua exercentes, commodè concluderet: sed squomodo per os, per guttur, per collum pene- trent; viderint, qui ibidem sedem fige- re statuunt ego equidem id non video. Itaque ad lamiam veniendum est: de quo prægrandi pisce asserunt Authores in finib<sup>9</sup> Provinciæ Aquitaniæ, aliquot istius generis interceptos fuisse, in quo- rum panticibus reperti fuerint homines integri, à capite ad calcem usque cata- phracti. Anno 1520. Archiepiscopus Ni- diohensis, scriptis ad Pontificem Leo- nem X. literis contestatus fuit, vi- sum ibidem monstrum marinum  
(ille

( ille cetum nuncupabat ) cujus rictus duabus orgys seu passibus græcis, id est, duplici spatio, quod utriusque manus brachiorumque extensione completur, suâ latitudine commensuratus fuerit: cujus oculi tam ampli, ut si eruendi venissent, in quovis defosso spelæo, viginti quatuor homines commode delitescerent. Assertum à tanto Præsule, omninò liberale. Sive nunc Lamia sit, sive cetus, seu bos marinus, seu canis; certum manet domicilium Jonæ in pisce. Nec tantoperè admirandum est, in vasto oceano repertum fuisse tantæ molis tamque largæ capacitatis incolam: illud verò notandum, quod jussu divino propè circumfluis, mox præstò steterit, ad Jonam ejectum, protinùs deglutendum; quodque ipsum in visceribus jam conclusum, naturali suo colere non absumpserit, quod respirandi concesserit facultatem, quod tribus illis diebus noctibusque Jonas in ventre piscis, non ut hospitis sui nutrimentum & cibus; sed veluti Dei captivus in squamoso isthoc carcere, mirabiliter fuerit detentus. Quid existimabimus

*Quid egerit  
Jonas  
in ventre  
piscis.*

bimus egisse Jonam isthoc triduo? an  
fortassis somnum suum, quem in navi-  
gio, subortâ tempestate excitatus, in-  
terrumpere fuit coactus, perrexerit  
edormire? vix crediderim insolitum  
illud conclavis sui stratuna, ei concili-  
asse soporem. Non est ambigendum,  
quia postquam marini Monstri inqui-  
linus, se suosque sensus non nihil re-  
colligens, miraculum illud grande quo  
conservabatur, providentia Dei plus-  
quam vulgari patratum esse cognove-  
rat, illa, quibus offensum Numen pro-  
trudendus in mare, efflictim placare  
conatus fuerat, flagrantia suspiria denuò  
inflammare, conduplicareq; profundis-  
simâ animi demissione continuaverit.  
Sic habet porrò historia: Oravit  
Jonas ad Dominum Deum suum  
de ventre piscis: cum angustiaretur  
in me anima mea, inquit ipsemet,  
Domini recordatus sum: clamavi de  
tribulatione meâ ad Dominum, de  
ventre inferi clamavi: projecisti me in  
profundum in corde maris, & flumen  
circumdedit me: omnes gurgites &  
fluctus tui super me transierunt:

N

&amp;

& ego dixi abjectus sum à conspectu oculorum tuorum, circumdederunt me aquæ usq; ad animam: abyssus valavit me: pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi: terræ vectes concluderunt me: & sublevabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus: ego in voce laudis immolabo tibi, quæcunque vovi, reddam pro salute Domino. Ecce, quàm plenè ad obedientiam redactus est Jonas: plura vota concepit, omnia redditurum se Domino sanctè adpromittit.

*Ejicitur  
Jonas in  
aridam.*

*Peccato-  
ribus ex-  
emplum.*

Et dixit Dominus pisci, & evomit Jonam in aridam. Projectus volatur in ripâ, adrepat ad littus, erigit sese in pedes, assurgit hominovus, ab imo abyssi spelæo, obtemperare altissimo, profundè doctus: prorsùs singulari Peccatoribus exemplo; Hac enim imagine suâ, dupotissimum salutariter observanda: præclarè repræsentat, unum est, quod sit peccatum omne reformidandum; quoniam peccatorem dejicit in turbulentum mare, & tempestatem

tem horridam, quamvis invisibilem; ubi non ventorum, sed Dæmonum exponitur furori ac ludibrio. Alterum est; quod ipse in medio procellarum, quibus involvebatur; inque extremâ calamitate suâ & statu, ut videri poterat, omninò desperato, non nisi unum Deum in cogitatione ac corde habuerit, ad unum illum gemens respexerit, ab illo unico fiducia in violatâ, omnem opem solatiumq; sibi pollicitus præstolatusq; fuerit. Peccator his contraria communiter agit: etenim vel superficiem solummodo peccati attingit obiter, ideoque exitialem ejusdem gravitatem; & quas animo infligit atrocitatem plagarum, non nisi leviter ponderare consuevit: vel si quandoque genuinam ejus ideam, & quæ monstrantur in ea, ingentia damna, animique pericula summa propius intueatur; tantùm non dejicitur animo, turbatur Spiritu, periclitatur spe, unicâ & necessariâ salutis nostræ anchorâ. Agnovit Jonas piaculi sui *Deo inni-* enormitatem, sed & bonitatis ac *tendum.* clementiæ divinæ immensitate

piè animatus est : stitit fontem sese ir-  
ritato Deo, sed & confidentissimè re-  
cepit se ad abyssum misericordiarum  
ejus : Novit & timere Deum ; & unà  
sperare in eum, neque spes suppres-  
sit timorem ; neque spem debilitavit  
timor. Quisquis in adversitate suâ ad-  
hæret alteri, quàm Deo, confu-  
gitque ad præsidium quod non est Deus,  
nec in lege aut veritate Dei fundatum ;  
quod non nisi ad inventam hominum,  
& hujus seculi prudentiam sapit, is ædi-  
ficat in arenâ super vanitate mundi,  
neq; fulcitur immutabilitate verbi Dei  
ac sinceritate amoris Jesu Christi : at-  
que ità miserationibus divinis, quæ  
præparatæ affluerent, vanitatibus suis  
obicem ponens, infelix deseritur,  
corruique ejus manca strues. Uno  
Deo adjuvante, & filio ejus Crucifixo  
Duce subsistero possumus ac transire  
arctam Crucis viam, extrâ quam nulla  
reperitur salus. Ità nos instruit Jo-  
nas, apprimè eruditus, cap. 2, v. 9.  
Qui custodiunt vanitatem fru-  
strâ, misericordiam suam derelin-  
quunt.

Nunc

Nunc factum est verbum Domini, ad *Jonas*  
 Jonam secundo, dicens: surge & vade *prædicat*  
 in Niniven Civitatem magnam, & *Ninivitis*  
 prædica in eâ prædicationem, quam *interitum*  
 ego loquar ad te, & surrexit Jonas; &  
 abiit in Niniven, juxta verbum Domini,  
 & cœpit introire in civitatem itinere  
 diei unius, & clamavit: *Adhuc quadra-*  
*ginta dies, & Ninive subvertetur.*  
 Jonas ignotus homo, Ninivitis nun-  
 quam visus, qui nullum existimationis  
 pondus, nullum authoritatis alicujus  
 splendorem præfererebat; contemptu  
 laborans, subito, absque ullo mali im-  
 minentis indicio, improvise acclamat  
 exitialia hæc fata populo, sine numero  
 grandi, opulento, deliciis diffuenti, &  
 quod his affine est, insolenter contu-  
 maciterque inflato.

Tanguntur corda divinitus; & credi- *Ninive a-*  
 derunt viri Ninivite in Deum: & prædi- *git pœni-*  
 caverunt jejunium; & vestiti sunt sac- *tentiam.*  
 cis à majore usque ad minimum: &  
 pervenit verbum ad Regem Ninive, &  
 surrexit de solio suo, & abjecit vesti-  
 mentum suum à se, & indutus est sacco,  
 & sedit in cinere, & clamavit in Nini-



Ninive ex ore Regis & Principum eius  
 dicens: homines & jumenta, & boves &  
 pecora non gustent quidquam nec  
 pascantur, & aquam non bibant: &  
 operiantur saccis homines & jumenta,  
 & clament ad Dominum in fortitudi-  
 ne: & convertatur vir à via sua mala,  
 & ab iniquitate, quæ est in manibus  
 eorum: quis scit, si convertatur & ig-  
 noscat Deus, & revertatur à furore ira  
 suæ; & non peribimus?

Fervor hic unanimis, quo cum ira-  
 to Deo, pro capite & incolumitate sua  
 pacisci nituntur, rerum suarum trepidi  
 Ninivitæ, indubitatum facit; quod  
 non tam humano, quàm divino im-  
 pulsu, omnium corda, à duritie emo-  
 ta; in pias lacrymas, sanctumque de-  
 peccatis dolorem, emollita defluxe-  
 rint. Nati in blanditiis; enervati  
 in deliciis, inescati voluptatibus,  
 divitiis immergi, in honoribus elati,  
 vestiti mollibus, in purpurâ splendidi,  
 in commestationibus assidui, exqui-  
 sitissimis mensarum epulis assueti, pre-  
 tiosissimo vino madidi, nullo non  
 relaxandæ mentis studio intenti,  
 hæc

hæc omnia repentinò aspernentes ,  
rigescunt saccis & ciliciis : sordescunt  
pulveribus & cineribus, macerantur  
inediâ & jejuniis , exjuccantur plo-  
ratu ac lacrymis , rauescunt eju-  
latu ac lamentis : quid multa? mu-  
tato corde , mutantur opera, præ-  
bita peccatoribus imitandæ virtutis ex-  
emplaria.

Violentiam Cœlo, gratamque Deo *Deus mi-*  
vim intulisse videntur : *Vidit enim seratur*  
*Deus opera eorum, quia conversi sunt Niniva*  
*de viâ suâ malâ, & misertus est Deus*  
*super malitiam, quàm locutus*  
*fuerat, ut faceret eis, & non fe-*  
*cit.*

Obstupesco marticolam Jonam : *Jonas ex-*  
hic iterùm in armis est : patefecerat *probrat*  
ei Deus, quod placatus pœnitentiâ *Deo Cle-*  
sincerâ Ninivitarum, cogitet ipsis *mentiam.*  
parcere : & afflictus est Jonas afflicti-  
one magnâ, & iratus est. En perci-  
tum & confidenter ferox ingenium?  
cui irascitur? Deo: quorum sic pergit  
expostulare, obsecro Domine, nun-  
quid non hoc est verbum meum cum  
adhuc essem in terrâ meâ: propter quod

præoccupavi, ut fugerem in Tharsis: scio enim, quia tu Deus clemens & misericors; patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitiâ, & nunc Domine tolle quæso animam meam a me; quia melior est mihi mors, quàm vita. At daturus iræ spatium Jonas, stomachans egressus est de civitate, & sedit contrà orientem Civitatis, & fecit sibi umbraculum ibi, & sedebat subter illud in umbrâ, donec videret, quid accideret civitati.

*Hedera  
gaudium  
primò,  
mox bi-  
lem mo-  
vit Jonæ.*

Placuit Deo intolerantiam hanc Jonæ, quasi in illâ ludendo, placitè domare eumque ut desideratam sibi æquanimitatem devoveat, suaviter condocere. Siquidem præparavit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Jonæ ut esset umbra super caput ejus, & protegeret eum: & lætatus est Jonas, super hedera lætitiâ magnâ, & paravit Deus vermem, ascensu diluculi in crastinum, & percussit hedera, & exaruit. Et cum ortus fuisset Sol, præcepit Dominus vento caldo & urenti; & percussit Sol super

super caput Jonæ, & æstuabat: & petivit animæ suæ, ut moreretur; & dixit: melius est mihi mori, quàm vivere. & dixit Dominus ad Jonam: putasne bene irasceris tu super hederam? amabo, quid expectabimus responsionis à Jona? stupeo mortalem ad confidentiam audentiamque tantam projectum. Bene, inquit, irascor ego, usque ad mortem. Tu doles super hederam, reponit Dominus, in quâ non laborasti, neque fecisti, ut cresceret; quæ sub unâ nocte nata est, & sub unâ nocte periit: & ego non parcam Ninivæ? Civitati magnæ, in quâ sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistram suam, & jumenta multa.

Remollesce tandem Jona, & reconde iras: reddita est Ninive per pœnitentiam digna ejus amore, qui ipsam venerat pessumdare, in iræ suæ furore. Etiam effectum est, quod prædixeras: adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Augustinus de Civitate Dei, libro vigesimo primo, capite vigesimo quarto, hæc habet: *eversa est Ninive,*

*Moralis  
eversio  
Ninivæ.*

N 5

quæ

quæ mala erat; & bona ædificata est,  
 quæ non erit: stantibus mœnibus at-  
 que Domibus, eversa est Civitas in per-  
 ditis moribus. Levabat Deus virgam,  
 quâ impios feriret; implorant pii grati-  
 am, ne miseri perirent: murmurabat  
 Cœlum tonitu, quo reos fulminaret.  
 jacebant hi in gemitu, ut noxas deplo-  
 rarent. hiabant ima tartara, ad fontes  
 devorandos, respiciunt hi sidera, ad su-  
 peros placandos. Atque ita vitium in  
 virtutem; poena in meritum; vindicta  
 in præmium, odium in amorem, ira  
 in gratiam, interitus in salutem; dam-  
 natio in beatitatem, mors in vitam, in-  
 fernus in paradisum; felicissimè com-  
 mutantur. Et hæc demum sunt  
 fortunata resipiscentium pec-  
 catorum fata. Felices Cruces,  
 dum conferunt salutes.



CRUX

# CRUX

Mulieris adulteræ Joan. 8.

ERat dies festus Judæorum Scenopægia: ad quem Jesus ex Galilæâ in Judæam, non manifestè [ quia quærebant Judæi eum interficere ] sed quasi in occulto ascendebat. Judæi primo statim festi die sollicitè quærebant, ubi est ille? & murmur multum erat in turbâ de eo: quidam enim dicebant, quia bonus est: alii autem dicebant non, sed seducit turbas. In novissimo autem magno festivitatis die ascendit Jesus in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Et ecce scribæ & Pharisei, qui sanguinem ejus fricabant. Fastuosè ingrediuntur, tanquam rem magnam præstituri, & adducunt mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dicunt ei: Magister? notemus quæso fucata versi pellium verba: jam nunc Magistrum compellant; quem pau-

*A Phari-  
sæis adu-  
ltera.*

paulò ante seductorem blasphemaverant : indagando , ubi est ille , qui seducit turbas ? in quem , qui crediderant , maledicti condemnabantur : quem heri negaverant literas scire , cum non didicerit ; eum hodie Magistrum creati adulterini promotores. Juvat porro audire , quid huic Magistro proponant ementiti subdoli que hi Academici. Magister , inquit , hæc mulier modò deprehensa est in adulterio : in lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare : tu ergo quid dicis ? hoc autem dicebant tentantes eum , ut possent accusare eum : persuasum habentes non posse hic Christum evadere cornutum dilemma ; quin aut in legem offendar : aut misericordiam suam solitam lædat , populumque commoveat , si condemnet. Ecquis suaviter adumbratus viperarum sibilus ? quàm hi religiosi legum observatores ! quàm vigilantes virtutum præsidēs ! quasi verò multum passa interiisset justitia , si mulieris hujus vindicta , post peractam festivitatem magnam fuisset dilata. Quid urgebat miseram exponere confertæ hominum

*Exquiri-  
tur judi-  
cium  
Christi.*

multi-

multitudini? in medio templi? in sum-  
 mâ festiuitate? si non insolens Pharisæ-  
 orum ostentatio, & inquieta in Chri-  
 stum rabies, ac viperina consilia, id ita  
 luassent. Adeat interim confusa mu-  
 lier, quò amplius seruiat malitioso ve-  
 teratorum intentui, ignominiam eò  
 graviolem, parum est; dummodo ex-  
 ecrandus malevolorum finis, id est, po-  
 puli in Christum invidia, infestum odi-  
 um, & exitialis tandem ejusdem interi-  
 tus obtineatur. Potissimum expecta-  
 bant, ut pro suâ clementiâ Christus,  
 adulteram absolvens, violaret legem;  
 & judicia tribunalium everteret: undè  
 intulissent: hostis es legis, decernis con-  
 trà Moysen; imò contra eum, qui per  
 Moysen legem dedit: reus es mortis,  
 cum illa lapidandus. Hoc sentit Augu-  
 stinus. Genuina horum idea exponitur  
 Ezechielis 34. væ pastoribus! qui pa-  
 scebant semetiplos: nonne greges à pa-  
 storibus pascuntur? lac coniebatis, &  
 lanis operiebamini: gregem autem meum  
 non pascebatis: quod infirmum fuit, non  
 consolidastis: & quod ægrotum, non  
 sanastis: quod confractum est, non al-  
 ligastis.

*Pastores  
 se, non o-  
 ves pas-  
 centes.*



ligastis, & quod abjectum est, non reduxistis; & quod perierat, non quaesistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentiâ. Qualem omninò experta est Phariseorum Judicum & Pastorum suorum imperandi austeritatem, & potentiae violentiam accusata mulier in hoc ter felix rea; quod impacta ipsi dica, ad æquissimi judicis forum sit delata. Nacta est Jesum non tam rigidum judicem, quam patronum & advocatum faventem. Stat antè ipsum peccatrix desolata, contrita deflet piaculum admissum, bene est: sed cur non procumbit ut Magdalena lacrymans ad pedes Salvatoris sui? ignoscamus; nescit mœrore obruta, confusione turbata, oblita sui, quid agatur, quidve agendum.

*Jesus digito scribit  
in terram*

Perseverant Pharisei interrogantes Magistrum suum, qui mox ostendit nosce se literas, ipsisque inspectantibus veros quosdam, sed invisos formabit characteres, ludum aperit proclamatus doctor; in Diatribam deducit hoc suos pennigeru factionis scholasticos. Iesus inclinans se deorsum, digito scribebat  
in

in terram: quod dum malè haberet scribas, ipsique suspectas tenerent exartas notas, moræ impatientes urgebant responsum: erexit se itaque Iesus & dixit eis: qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat: & iterum se inclinans scribebat in terram, & iustitiam servans, & à mansuetudine non recedens. Quemadmodum Apostoli unâ linguâ ab omni hominum natione sunt vernaculâ singulorum loqui: ita hic Christus formasse fertur characteres, qui inspecti sua singulis peccata partitè repræsentâriat. Ita sentit S. Hieronymus lib. 2. contrâ Pelagianum. D. Ambrosius Epistolâ 79. censet inter alia scriptum fuisse: testucam, quæ in oculo Fratris tui est, vides: trabem verò, quæ in oculo tuo est, non vides.

Audientes autem videntesque hæc; unus post unum exhibant: incipientes à senioribus, & remansit solus IESUS & Mulier in medio stans. Quam impetuoso tumultu in templum irruerant, versutam machinam fallaciamq;

in

*Subdu-  
cunt se  
omnes ex  
templo.*

in Jesum intendentes, tam nunc suspenso gradu & naso, furtivè egrediuntur, captæ in astu vulpes: unico digito in terram scribente ejiciuntur omnes, submissa hæc tenuis vox; qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidè mittat; conticescere fecit blaterones importunos, vafros Syncophantas, conscientiam redargutos. O fortunata mulierem! quæ desertâ ab actoribus causâ, remanet sola, cum solo Jesu! stat, quid vetat dicere, quamvis adultera, sed corde contrita, comparatè ad infimulatores suos, profligatos Phariseos, victus in medio, gaudetque audientiam privatâ apud misericordiam miseria.

*Absolvitur rea.*

Erigens se Jesus dixit ei; mulier ubi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit? quæ dixit, nemo Dominus dixit Jesus; *nec ego te condemnabo*; vade, & jam amplius noli peccare. D. Augustinus in psalm. 50. de adulterâ inquit: Moyses lapidat ut Judex; Christus indulget, ut Rex.

Quomodo? quàm læta? quali cumulatâ solatio? hæc egressa fuerit ex hoc ergastulo suo, quis exprimet? emittatur

ex templo indulgentiâ plenariâ dives;  
jubilæo majori potita: quid sonant ista  
verba; *Nec ego te condemnabo?* Verba  
sunt nunquam sat æstimanda, benignis-  
simus Dominus, in charitatem & mise-  
ricordiam profusus scrutatus cor muli-  
eris sincerè pœnitentis, commiseratio-  
ne tactus, liberat eam omni metu, tam  
præsenti, quàm futuro; asseritq; se eam  
non solum nunc non condemnare, sed  
nec condemnaturum unquam, asseve-  
rat. O mulier! cliens Christi ter beata!  
quid est hoc, quod tibi addicitur? Hic  
Dominus ipsissimus ille est, qui ali-  
quando venturus in nubibus judicabit  
vivos & mortuos, apprehende, quid tibi  
spondeat: *Nec ego te condemnabo;*  
dum venero judicaturus cœlum & ter-  
ram in potestate magnâ; non ego te  
condemnabo. Jam desine tristari de in-  
fortunio verè fortunato, quo depre-  
hensa es in piaculo: salutaris tibi accidit  
confusio: quam adisti in templo: opta-  
ta jam cernitur calamitas, de quâ pro-  
fecta est hæc securitas: *Nec ego te con-  
demnabo.*

O

CRUX

# CRUX

Pauli, adhucdum Sauli persequenti Ecclesiam

Actor. cap. 9.

**D**ictus fuit Saulus à Saul primo Rege suæ Tribus Benjamin: & sicuti Saul persecutus fuit Davidem, ita Saulus persecutus est Christum, Davidis antitypum, ejus sævitia & auiditas christiani sanguinis, nece Stephani, aliorumque Christianorum virorum ac mulierum, quos trahebat ad vincula & tribunalia Hierosolymis, expleri non poterat: furentis ad instar leonis ac rapacis lupi, eructabat minas accædes indies atrociores. Hinc accessit ad Principem Sacerdotum, & petiit. Ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas: ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, id est, Christianismi sectatores, vincetos perduceret in Jerusalem.

Dama-

Damascus erat caput Syriae, *Damascus*  
 distans à Jerusalem itinere quinque  
 dierum : undè sicut Syria, ità  
 Damascus Judæis non erat subdita,  
 sed suum habebant Regem, Aretam;  
 qui concesserat Judæis quasdam Da-  
 masci plateas, ubi suis jus dicere  
 & exercere licebat. Fluviusque ardor  
 Sauli, quo grassabatur in fideles,  
 furorem suum extendere, jam magnis  
 passibus progressus, non nisi di-  
 midium miliare distabat Damasco,  
 & subito circum fulsit eum lux de  
 caelo, coruscum si fulgur, undè qua-  
 si ictus ac fideratus à fulmine, De-  
 jicitur in terram. Censent nonnul- *Saulus*  
 li Saulum venisse peditem : tum, *prosterne-*  
 quia scriptura nusquam ejus equi *tur.*  
 meminit, tum, quia Judæi reli-  
 giosiores, uti Pharisei, qualis e-  
 rat Saulus, vix equis utebantur.  
 aliorum opinio est fuisse ipsum e-  
 quitem, tum, quia longum facie-  
 bat iter, quinque aut sex dierum  
 à Jerusalem in Damascum: tum, quia  
 veniebat quasi Prætor stipatus satelli-  
 tibus. Idipsum suadet Sauli fastus  
 O 2 &

& ira tumens, quâ inflatus, non nil  
 minas & cædes & alta quæque spirabat,  
 esto ex Zelo legis, ut sibi videbatur,  
 adeoq; ipsum unâ cum equo humi pro-  
 stratû volutasse sese totoq; corpore con-  
 quassatum, illicò agnovisse præpoten-  
 tia æmuli duellantis fulgetra; quæ mox  
 tonitruï ad instar subsequebatur vox  
 Durior Christi; Saule, Saule! quid  
 me persequeris? Sive itaque eques  
 venerit, sive pedes; jacet humi edomita  
 ferocia Sauli. Hic jam Augustinus  
 Tract. 10. in Joan. epist. alloquitur eum:  
 Non expavescis vocem capitis de cælo  
 clamantem pro membris suis, Saule  
 Saule, quid me persequeris? persecuto-  
 rem suum vocat, persecutorem mem-  
 brorum suorum. Idem serm. 14. de San-  
 ctis: membris adhuc positis in terrâ ca-  
 put clamat in cælo: & non dicebat, quid  
 persequeris fideles meos; sed quid me  
 persequeris? D. Bernardus de conver-  
 sione S. Pauli; in manibus inquit,  
 sunt Epistolæ crudelissimæ legationis,  
 auctoritatis execrandæ, potestatis ini-  
 quæ, quid me persequeris?

*Vox Christi*

Sau-

Saulus insolentiâ fulgoris perstrictus ac cæcutiens, fulminantis vocem percipiebat quidem; sed ingenti splendore undique circumfusum Christum distincte intueri ac dignoscere non valebat, rogat ergò, quis es tu Domine? an Angelus, an Deus? eique se tacitè, depositis nunc cristis, quasi servū humillimè submittit, cōpellans eum, Domine, quis es tu? mox audit: ego sum Christus, ego sum Jesus, quem tu persequeris: durum est tibi contrà stimulum calcitrare stimulis enim miraculorū, stimulis Sanctitatis; stimulis disputationum S. Stephani, stimulis adhortationum S. Barnabæ, crebrò Christus pupugerat mentem Sauli, ut in se crederet; sed ille recalcitrans impedit tandem in stimulum hunc longè validissimum, quo prostratus humi, deinceps affigebatur humilitati, tremens stupensque ad tantam, tam potentem Christi præsentis Majestatem quâ excæcatum se, planeque debellatum advertibat, erumpit in verba animi omninò compuncti, resignati tradentis dedentisque se victori Deo, & dixit: Domine, quid me vis facere? O

O 3

verè

*Submittit  
se Saulus*



vehemens gratiæ divinæ impetus! quomodo  
 sic propellitur Saulus. *Jam*, inquit  
 Augustinus serm. 14. de sanctis *parat*  
*se ad obediendum, qui prius serviebat*  
*ad persequendum.* Et Dominus ad  
 eum: surge & ingredere civitatem; &  
 ibi drietur tibi, quid te oporteat face-  
 re. Surrexit igitur Saulus de terrâ aper-  
 tisque oculis nihil videbat: ad manus  
 autem illum trahentes introduxerunt  
 Damascum: & erat ibi tribus diebus  
 non vicens, & non manducavit, neque  
 bibit. Hic explebatur in Saulo illud  
 Sophoniæ l. 17. *Tribulabo homines &*  
*ambulabunt ut cæci, quia Domino pe-*  
*caverunt.* Jam trahitur cæcus, captivus  
 Christi qui longius acriusque videns  
 venerat Christi fideles tracturus ad car-  
 ceres. Quale spectaculū sui præbuit hic  
 Saulus Judæis, & Civibus Damascenis  
 quale, quàm inexpectatum Aposto-  
 lis, omnibusque christianis!

*Cæcitas.*

*Mittitur*  
*Ananias*  
*ad Sars-*  
*um.*

Interim dixit ad Ananiam in visu  
 Dominus: vade in vicum, qui vocatur  
 rectus, & quaere in domo Judæ, Saulum  
 nomine Tarsensem, ecce enim orat.  
 Vade quoniam vas electionis est mihi  
 iste,

iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus & filiis Israël: ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum, pro nomine meo pati. Mittitur Ananias in vicum, id est, in plateam certam Damasci, quæ erat & vocabatur recta: urbs enim dividitur in regiones, regiones in vicos sive plateas; vici in domos: undè à vico dicitur vicinus, qui in eodem vico, sive platea habitat. Vas electionis, id est, instrumentum singulariter electum erit mihi iste. 1. ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus: hinc patet Saulum à Christo creatum esse Apostolum. 2do. ut fortia quæque patiatur pro Christo ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum, pro nomine meo pati. Est ingens Dei donum, (ad Philip. 1. v. 29.) pati pro Christo. Et hæc fortitudo in plagis; mirabilior est omnibus signis & miraculis. Cassianus coll. 12. c. 13. refert; Christianum quendam à Gentilibus divexatum, cum illi insultando rogarent: ecquid miraculi Christus vester, quem colitis, facit? respondisse, ut his, & majoribus, si contuleritis, non movear nec offendar injuriis, Abiit ananias, & introivit

*Recepto  
visu Bap-  
tizatur.*

*Predicat  
Iesum.*

in domum, imponensque Saulo manus, dixit: Saule Frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas, ut videas & implearis spiritu sancto: & confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est, fuit autem cum discipulis, qui erant damasci, per aliquot dies: & continuo in Synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei. Vivo, inquit, iam non ego, vivit verò in me Christus: iam non aliud sciebat, non aliud sapiebat, non aliud spirabat, corde, ore, opere, quàm Dominum Iesum Crucifixum. Stupebant omnes tantam tamque subitam in Saulo mutationem: ut, sicut de Saule Prophetante dicebant 1. Reg. 16. num & Saul inter Prophetas? sic & de Saulo dicerent num & Saulus inter Apostolos? nunquid ille Iesum prædicat, qui Iesum persequi solebat? quo, ut ait Augustinus serm. 10. de verbis Apostoli, nemo acrior inter persecutores, nemo prior inter peccatores; iam non leo sed Agnus, non lupus, sed Pastor, non per-

persecutor, sed prædicator, non hostis, sed miles & servus Iesu Christi, succlamat Domine quid me vis facere? hæc nimirum vis admiranda inflictae persecutori calamitatis; hic finis prostrati Sauli; dejectio corporis, sit erectio mentis; membrorum concussio, vitiorum expulsio, oculorum excæcatio, totius Orbis illuminatio. Quot tulit clades, quot strages, tot fidei sedes, tot salutis multiplicavit bases.

Hos Pauli compunctionis & profundæ humilitatis magnos animos assumat quisquis aliquando peccavit. Augustinus serm. 9. de verbis Apost. Si Paulus sanatus est; ego quare despero? si tanto Medico, tam desperatus æger sanatus est; ego cur meis vulneribus illas manus non optabo? ad illas non festinabo! ut hæc dicerent homines, ideo Saulus factus est ex persecutore Apostolus.

Saule, jam nunc per Crucem, per calamitatem sanctificate Paule, quam consuevisti in epistolis tuis apprecari gratiam Domini nostri Iesu Christi; eam nunc in Cælis Christo junctus,

O 5 nobis

nobis clementer exora; ut vel umbra  
 admirabilis illius electionis tuæ ad nos  
 reflectatur; quâ ad Iesum Christum po-  
 tenter tracti, pleno corde tecum ac-  
 clamemus, Domine, quid me vis face-  
 re? ejusque sanctam voluntatem exe-  
 quentes; proliciat pro se quisque illam  
 Domini amicam vocem; vas electionis  
 est mihi iste.

Atque ita in Paulo, magno Apосто-  
 lo, stigmata Iesu Crucifixi in corpore  
 suo portante, nec nisi in Cruce  
 Domini gloriabundo, fortu-  
 natum hoc resipiscen-  
 tium Crucigerorum  
 agmen, clausum  
 esto.



AGMEN

# AGMEN PECCA- TORUM

In Cruce

## CONTUMACIUM.

CUM peccator impœnitens non tam  
 cassumere crucem suam & gerere,  
 quam quæ vindex Dei manus immittit  
 adversa, refractarius subire, ægreque to-  
 lerare videatur: atque ita ex serie cruci-  
 getorum Christi, & servorum Dei, eli-  
 minandus tanquam degener, censeri  
 possit: attamen, quæ turbida tempora  
 vivit, quosque duros, quantumvis in vita  
 minervâ patitur casus; propriè calami-  
 tates & cruces hominû, rectè dicendæ  
 sunt: ideo, quò pateat amplius neminem  
 unum, quantumcunque insaniens Su-  
 premi Numinis potenti brachio subtra-  
 here sese nitatur, fatorum communium  
 necessitatem declinare posse. eorum ve-  
 rò, qui in adversis, Dei fulmina reveriti,  
 se humiliter ferienti dextræ submitunt  
 pium beatumque patiendi robur stabi-  
 liatur fortius; non abs re patiemur,  
 con-

contumaces hosce infaustosque cruci-  
geros, ad piorum salutarem horrorem,  
obiter spectandos in scenam prole-  
Armata contra Impios elementa insur-  
gent, & suum singula tragicum actum,  
stupendum dabant.

## Elementum Aquæ.

# CRUX

Orbis universi, Gen. 6. & 7.

Diluvium.

**N**Umen tremendum! severum De-  
um! delebo, inquit hominem quem  
creavi à facie terræ, ab homine usque  
ad animantia, à reptilibus usque ad vo-  
lucres cœli. Corrupta est terra & re-  
pleta iniquitate: multa malitia homi-  
num, & cuncta cogitatio cordis inten-  
ta ad malum omni tempore: non per-  
manebit Spiritus meus in homine in æ-  
ternum, quia caro est. Notanda hic  
venit hebraica phrasis, quæ sic habet:  
non disputabit diutiùs Spiritus meus  
cum

cum homine: ac si diceret Dominus, disputando fessus sum: inspirata ad frugem consilia mea, nequicquam proficiunt, sed contumax homo suis in flagitiis quotidie insolescit amplius. Videntes Filii Dei, Filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant; intellige, ex aliena, adeoque illicita ipsis origine.

Non defuerunt ex antiquioribus Authores, qualis Tertullianus & quidam alii, qui sibi imaginati fuerunt, hic nominatos Filios Dei, fuisse Angelos Dei, qui corpus ex aëre formatum animantes, immoderatâ cupidine exarserint in Filias hominum. Versio septuaginta interpretum, cum loco Filiorum Dei, ponat Angelos Dei; in hanc tam erroneam, quam sanctitati purissimorum horum spirituum injuriosam opinionem incautos traxisse videtur.

S. Augustinus & alii cum illo, locum hunc sic interpretantur: Filii Dei, id est, Filii Seth, qui hucusque sancte, ut Filii & homines Dei vixerant, acceperunt sibi uxores ex filiabus hominum, id est;

*Quinam  
Fili Dei  
hic nun-  
cupentur.*

*Quenam  
Filia ho-  
minum.*



id est, filias ex posteritate maledictâ Cain: quæ impia progenies innoxios sanctosque mores filiorum Seth, apta nata erat per connubia corrumpere. Citatus Augustinus lib. 15. cap. 22. de Civit. Dei sic ait: Filii Seth amore Filiarum hominum capti, in mores societatis terrigenæ defluerunt, desertâ pietate, quum in sancta societate servabant. Addit S. Cyrillus, lib. 3. in Genes. Postquam Filii Seth junxerunt sibi uxores de prolepiâ Cain, eorumque sacrilegia detestandaque scelera imitati fuerunt, prognati sunt ex his abominandis nuptiis, non homines, sed monstra, gigantes: qui non solum deformi corporum mole, sed vel maximè feroci animorum fastu, vitiorum enormitate protervâ, iniquitate violentâ, nefariorum operum malignitate, extiterunt portenta confeceratissima. Norma vivendi hæc ipsis erat: sit fortitudo nostra lex justitiæ: quicquid libitum, reddatur & licitum ab his excessus omnis generis sacrilegiorum; injuriarum gravissimarum aulus, violentiarum criminumque infamium nefandorum abominationes, quæ violatam

*Gigantes*

larum naturam ipsam contaminant, per reliquum Mundum exitiali contagio permeant.

Provocata tandem justitiæ divinæ severitas, hanc excerendam morum corruptelam, universali inundatione suppressere decrevit. Ego, inquit, dispergā omnes; adducam aquas diluvii super terram, & interficiam omnem carnem, in qua Spiritus vitæ est subter cælum; & universa, quæ in terrâ sunt, consumentur.

Noë vir perfectus, ambulans cum Deo invenit gratiam coram Domino; dixitque Dominus ad Noë, finis universæ carnis venit coram me: fac tibi arcam; ingredieris tu & omnis domus tua in eam; te enim vidi justum coram me, in generatione hac. Stupenda longanimitas benigna Dei, à quo præmonitus fuit Noë cæcum annis ante diluvium, applicare manum operi. Interea abundabat tempore insanus Mundus; convertendi sese ad Deum suum: nec cessabat Noë sollicitè exhortari vanitatibus abreptos, desisterent tandem à via iniquitatis, seriaque animi pœnitundine vindicantis numinis iram placare contenderent: si non  
omni-

*Subetur  
Noë fa-  
bricare  
arcam.*

omninò futurum, ut post aliquot annorum curriculum, depluat cœlum, non solum in visos imbres maximos, sed & integra immensa maria, in universam terræ superficiem, tam diuturno projectu evibranda, donec undæ super undas provolutæ eò intumescant ac infremant, ut omnis caro vivens absorbeat, ac intereat.

*Vaticinatio diluvii  
ludibrio  
habetur.*

Sed isthoc Noë, tam sancti viri oraculum, excipiebatur à perverso Mundo; uti fabula ac delirium lœmnium. Pergebat tamen Noë, conceptam Dei iram prædicare Mundo quotidie, & verbo continuo, & opere; per integrum nempe sæculum, publicè in oculis omnium laborando, in construendâ tam insolenti fabricâ. Hinc S. Paulus Hebr. 11. v. 7. Fide Noë aptavit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnavit Mundum; videlicet, hoc videntem & non resipiscentem. Matthæi cap. 24. hæc ad rem nostram leguntur: erant in diebus Noë ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam; & non cognoverunt, donec venit

venit diluvium & tulit omnes. Luc. c. 17.  
confirmantur hæc ipsa : factum est in  
diebus Noë ; edebant & bibebant ; uxores  
ducebant , & dabantur ad nuptias ,  
usque in diem , quâ intravit Noë in ar-  
cam ; & venit diluviū , & perdidit omnes.

Explosus itaque à mundo sannis & risibus Noë , Ingressus est ipse & filii ejus , uxor ejus & uxores filiorum ejus cum eo

*Noe in-  
greditur  
arcam.*

in arcam : & aquæ diluvii inundaverunt super terram : rupti sunt omnes fontes

*Diluvium*

abyssi magnæ ; & cataraclæ cæli apertæ sunt & facta est pluvia super terram quadraginta diebus & 40. Noctibus ; factumque est diluvium , & multiplicatæ sunt aquæ , & elevaverunt arcam in sublime à terra , vehementer enim inundaverunt & omnia repliverunt in superficie terræ ; porro arca ferebatur super aquas. Jam credo , irrisu paulatim posito , omnique ludibrio vaticinantis Noë remoto , alium induerint sensum , antea in sani , surdi ac insensati mortales. O quot millena hominum millia ! antequâ sic miserè perirent , redacta sunt ad extremas mentis angustias ! quot con-

scenderint ad suprema domuum tabula

P

ta !

ta! quot sublimes altiorum turriū patie-  
 rint apices quot ad inaccessa montium  
 cacumina penetraverint pars ad sca-  
 phas, ad pontes, ad naves confugerint:  
 qui luctus? qui gemitus? quales ploratus,  
 quales ejula tus! quāta hæc, quā inexpli-  
 cabilis calamitas orbis? scaphæ om-  
 nes & naves diluvii imbribus obrutæ  
 submergabentur aquis, domium turri-  
 um, montiumque fastigia, transcendebat  
 unda: aquæ prævaluerunt nimis super  
 omnem terram: opertique sunt omnes  
 montes excelsi sub universo cælo:  
 superque montes, quos operuerat, quin-  
 decim cubitis altior assurrexit aqua:  
 consumptaque est omnis caro, quæ move-  
 batur super terram: universi homines  
 & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est  
 in terra, mortua sunt. Anno à Mundo  
 condito 1656. die octavo mensis De-  
 cembris; antè incarnatū Christum 2348.  
 Epiphorema adjicit Apostolus Petrus  
 Epist. 2. cap. 2. *Deus Noë justitiæ præ-  
 conem custodivit, diluvium mundo  
 impiorum inducens, exemplum eorum  
 qui impiè acturi sunt, ponens.*

Etc.

# Elementum Jgnis.

## C R U X

Sodomæ & Gomorrhæ Gen. 19.  
Sulphur & Jgnis.

**A**ngelos, quos deus miserat commif-  
sarios ad delendam quinq; civita-  
tum municipalem impietatem de viâ  
hospitio & epulo exceperat Abraham:  
cumque surrexissent inde, direxerunt  
oculos contra Sodomam: & Abraham  
simul gradiebatur deducens eos. *Dixit-  
que Dominus: num celare potero Abra-  
ham, quæ gesturus sum, scio enim quod  
precepturus sit filiis suis & domui suæ  
post se, ut custodiant viam Domini, &  
faciant iudicium & iustitiam. Dixit  
itaque Dominus: Clamor Sodomorum  
& Gomorrhæ multiplicatus est: & pec-  
catum eorum aggravatum est nimis:  
descendam & videbo, utrum Clamorem,  
qui venit ad me opere compleverint: an  
non est ita, ut sciam. Converteruntq; se  
inde angelo duolos & abierunt sodomã*

*Abraham  
paciscitur  
cum Deo.*

P 2

Abra-

Abraham verò adhuc stabat coram ter-  
 tio, tanquam Vice-Domino, & appro-  
 pinquans ait : nunquid perdes justum  
 cum impio ? si fuerint quinquaginta  
 Justi in civitate peribunt simul ? & non  
 parces loco illi propter quinquaginta  
 justos, si fuerint in eo ? absit à te, ut  
 rem hanc facias, ut occidas justum cum  
 impio, fiatque justus sicut impius: non  
 est hoc tuum, qui judicas omnem ter-  
 ram: nequaquam facies judicium hoc  
 dixitque Dominus; si invenero Sodo-  
 mis quinquaginta justos in medio civi-  
 tatis, dimittam omni loco propter eos,  
 respondensq; Abraham ait: quia semel  
 cœpi, loquar ad Dominum meum, cum  
 sim pulvis & cinis: quid si minus quin-  
 quaginta justis, quinque fuerint! &  
 ait Dominus: non delebo si invenero  
 ibi quadraginta quinque. Sin autem  
 quadraginta ibi inventi fuerint, quid  
 facies ? ait; non percutiam propter  
 quadraginta, quid si ibi inventi fuerint  
 triginta respondit; non faciam, si inve-  
 nero ibi triginta. Quid si ibi inventi fu-  
 erint viginti? ait, non interficiam prop-  
 ter viginti. Obsecro, inquit Abraham,

ne irascaris Domine, si loquar adhuc  
semel; quid si inventi ibi fuerint decem  
& dixit non delebo propter decem: abi-  
itque Dominus; & Abraham reversus est  
in locum suum. Nos interim, dum an-  
geli itinerantes commissarii attinge-  
rint sodomas, fruemur otio, nonnul-  
lis in hoc congressu angelico, divinoq;  
affatu mystice gestis, velut statutis mo-  
rum documentis, immorandi impensius

Notandum imprimis est Domini di- *Nil ami-*  
ctum: *Nūm celare potero Abraham, cus occul-*  
*que gesturus sum? Amo Abrahamū; be- tat amico;*  
nedicam in illo omnes nationes terræ:  
scio quod præcepturus sit suis ut custo-  
diant viam Dei, & faciant iudicium &  
justitiam: cur occultum habebo iudici-  
um, quod exercebo in civitates scele-  
rosas? narrat itaque stomachum, suum-  
que credit Abrahamo secretum. Est  
indubitatum amicitiae integerrimæ lig-  
num, animi sui arcana mentisque recess-  
sus amico detegere. Filius Dei faterur  
id Apostolis, Joan. 15. v. 15. *Jam non*  
*dicō vos servos, quia servus nescit quid*  
*faciat Dominus ejus; vos autem dixi*  
*amicos, quia omnia quaecunque au-*



*audivi à Patre meo, nota feci vobis.*  
 Quemadmodum Abrahami cor Deo  
 apertum deditumq; totum, nil prece-  
 bat absconditum, ita vicissim, ter opti-  
 mus, ter maximus Deus, sua Abrahami  
 consilia tenere occulta haudquaquam  
 poterat. Qualis, boni Superi! hic nexu  
 amoris, & vis amicitiae? hæc familiari-  
 ter jungit nihilum cum entium ente.  
 hæc res adeo inæquales Creaturam  
 Creatori quodammodò adæquat.  
 quàm hæc amicitia est admiranda in  
 Deo, tam est prætiosa censenda in ho-  
 mine. Nihilominus, quæ vesana  
 mundi levitas est, complures per ipsa  
 vitæ discrimina, mortalis cujusdam  
 Principis, aut caduci Regis favorem  
 confectari non reformidant; qui simul  
 obtentus adhuc sexcenta secum trahit  
 & alit pericula. De adipiscendâ supre-  
 mi Numinis, immortalis Dei, regum  
 Regis clementiâ, quæ oblata prostat  
 omnibus, laborant paucissimi, cum  
 tamen quovis momento, si corde sine-  
 ro Deum quærerent, gratiosum ami-  
 cum reperirent. S. August. lib. Conf. c.  
 5. *Amicus Dei si esse voluero, ecce nunc  
 fit.*

no. Cur id velletardamus, vani mortales? nunquid in optatis est hujusmodi cum Deo familiaris conversatio? induamus Abrahami justitiam & correctum, atque hac incomparabili amicitia Divina gratia felicissimè delectabimur,

Alia hic æquè primò notanda audiuntur Verba Domini: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, *descendam & videbo*, utrùm clamorē, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.

Affolet sacra pagina non levem *Clamor* solummodò vocē, sed clamosum *peccati* vociferatum attribuire peccatorum enormitati; quando videlicet impietas eum malitiæ gradum conscendit ut flagitiorum conclamatio, in ipso etiam cælo, antethronum Dei perstreperet, & vindicationis exposcere fulmina audiatur; ne immania nimis scelera, quæ cæli Domino palàm insultare, ac naturam, cujus ipse author est, dedecorare non desinunt, impunita relinquuntur. queis tetrus Sodomæ ac Gomorrhæ facinoribus, dū undiq; terra

*Provide  
judican-  
dum.*

& æther circumsonant; calentesque  
rumores per omnium ora volitarent; in-  
fit Dominus, *descendam & videbo*,  
D. Gregorius moral, lib. 19, cap. 14. mo-  
net exhiberi his verbis permagni pon-  
deris documentum, in quo ad rectè,  
sine sui proximique læsione vivendum,  
momentum omne vertatur. Vix quic-  
quam indicat esse communius in mun-  
do, quàm præcipitatum inter homines  
alterius de altero, injuriosum judicium.  
Sæpe ad primam, sed deviam rei speci-  
em; ad incertos vulgi rumores, ad ma-  
levolorum confictas narrationes, ad  
Ciniflonis alicujus gratiam ambientis  
meras tabulas, ad suspicionem, non ni-  
si ex imaginationis vanitate inciden-  
tem, ad stridorem quendam coli deri-  
lantis Vetulæ, & ostentatæ virtutis hy-  
pocrisin, condemnatur homo, non  
solum factorum innocens & ab omni  
noxiâ remotus, sed vir integerrimus  
summâque æstimatione dignus. Quin  
ipsam adeo virtutem, in sinistram tra-  
himus suspicionem, ac precaciter cri-  
minemur. Deus igitur ad hanc homi-  
num arrogantiam, quâ alter alterum,

ejus

ejusdem secum naturæ consortem, tam  
cæcè, tam audacter dijudicare prælu-  
mit, suo exemplo confundendam ;  
postquam dixit, clamor Sodomorum  
& Gomorrhæ multiplicatus est, & pec-  
catum eorum aggravatum est nimis ;  
subjungit : *descendam & videbo*, u-  
trum clamorem, qui venit ad me, ope-  
re compleverint, an non ? ut sciam,  
Quis non admiretur incomprehensum  
hoc moderamen, quo Deus dimittit  
se infra se ; ut elevet hominem supra  
hominem ; hoc exemplo suo præsentem  
tacitus affatur omnes : ego vobis judi-  
care interdixi, nisi fortè evidentia re-  
rum ita clarè patefaciat actum, ut im-  
possibile videatur, non censerij factum :  
nunc pergo ego ipsemet vos docere æ-  
quum formare judicium ; considerate,  
quantâ, quam providâ utar cautione  
antequam eondemnem civitates, So-  
domam & Gomorrham, tantis tam-  
que publicis notis infames. Non erat  
illarum herinata corruptio : adolevit  
inter hunc populum, annisque pluri-  
bus dominabatur usurpato iniquissimè  
regno. Neque erat particularis pauco-

rum, sed generalis omnium, in juvenes, in viros, in senes effusa, obominanda pravitas: ideoque in ipsorum aperta flagitia diu multumque inquirere, superfluum videri poterat: quin ipsi profligatissimi mortales, ducentes sibi honori, unde operari confusione oportebat, in recensenda propria turpitudine, palam gloriabantur. Ita ut Spiritus Sanctus Isaiæ 3. v. 9. aliorum damnandam de peccatis gloriationem, cum Sodomitis perditè gloriabundis, hac formâ componat: *peccatum suum, quasi Sodoma, predicaverunt.* His non attentis; antequam in hoc longè lateque evulgatos impios, fatalem condemnationis sententiam pronunciaret omniscius Deus; voluit prius exploratè cognoscere, ac perpendere singula; ad erudiendum scilicet perfectius Mundum, ne ullum unquam condemnemus reum; donec ipse de noxâ convictus, nosque de veritate certi, probum securumque iudicium statuere possimus. Compara nunc, O homo! moderamen, quo utitur Deus, cum præcipitantia tuâ, quâ temerè progredis; & adeo prodigiosum, te inter & Deum,

Deum, in formando iudicio discrimen perhorresce. Condemnat Mundus quotidie innocentes, ac parum admodum inde angitur, quando insons tangitur. Examinat Deus exactè singula, antequam iudicet manifesta crimina: cæcutit Mundus voluntariè; videreque sibi persuadet, quæ non videt, ad offuscandum affectûs sui sinistri nebulis alienæ virtutis splendorem: & Deus dissimulat videre se, quæ videt, ut vitio parcat: & quamvis cœlum & terram immensitate suâ compleat, ejusq; conspectui subjiciantur omnia; attamen ut proportionatè, more modoque humano, nobiscum agere intelligatur, *descendam*, inquit, & mihi quidem undique perspectam Civitatum abominationem propriis denuò oculis videbo, antequam iudicem. Sic Deus obliviscitur spontè Deitatis, suiq; ipsius: & agit, ut homo, ut instruatur homo: infert quandam injuriæ speciem omniscientiæ suæ infinitæ, ut iniqua inscitia humanæ, sibi nimium arrogantis ausa, convellat & aboleat. Tu contrà insulsus homo, fragilitatem

tem tibi proximè, in omni gradu con-  
 sanguineam, jactanter explodens, vi-  
 deris velle Deum agere; arguis, judi-  
 cas, condemnas, audacter, liberè ob-  
 via quævis: non secus ac si nuda & ima,  
 quæ uni, soli, altissimo Numini pene-  
 tranda reservantur, cordium arcana  
 inspiceres. Hic tibi loquitur Ecclesiast.  
 II. v. 7. *priusquam interroges, ne vitu-  
 peres quemquam.* Hoc demum est do-  
 cumentum, quod ex his sumendum  
 urget D. Gregorius moral. lib. 10. cap.  
 14. *Deus gravitatis nobis exemplum  
 proponit, ne mala hominum antè præ-  
 sumamus credere, quam probare.* O  
 sancte Doctor! quàm raros, quàm in-  
 dociles hujus tuæ doctrinæ nancisceris  
 discipulos!

Loth, in-  
 vitat pere-  
 grinos.

Nunc iterum converſi ad binos An-  
 gelos, inſequamur itinerantis: declinat  
 dies, & appropinquant Sodomis, ſe-  
 dente Loth in foribus Civitatis: qui cum  
 vidiffet eos; ſurrexit, & ivit obviam  
 eis, & dixit: *obſecro Domini, declina-  
 te in domum ſervi veſtri, & manete  
 ibi; qui dixerunt minimè.* Quid hoc?  
 quomodo recuſant Angeli divertere in  
 domum

domum Loth, cum tamen id unicè intendant? atque ipsum unà cum familiâ, Abrahami cognati ejus intuitu, salvare, à Deo mandatum habeant? v. 29. *Cum subverteret Deus Civitates, recordatus Abrahamæ liberavit Loth.* Erat videlicet inflammandus hospitalitatis ardor, & acuenda virtus: cui satis non sit invitasse frigidè; sed instare, & amicâ importunitate urgere, vincere, ac compellere intrare. Quemadmodum duo discipuli in Emaus, Dominum Jesum existimantes peregrinum, non solum rogabant; *mane nobiscum Domine*, sed & *coegerunt illum*. Tali sincerâ ex animo benevolentia, sub humanâ specie latentes, & ipse Deus, & Angeli amaverunt excipi, undè Apostolus ad Hebræ. c. 13. *Charitas fraternitatis maneat in vobis; & hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis.* Compulit illos oppidò Loth, ut diverterent ad eum: ingressisque domum illius fecit convivium. Prius autem, quàm irent cubitum; viri Civitatis vallaverant domum,

*Cur dissimularint velle divertere in domum Lot.*

*Impetitur Lot ut producat Peregrinum, nos.*



mum, à puero usque ad senem, omnis  
 populus simul: vocaveruntque Lot,  
 & dixerunt ei: ubi sunt viri, qui intro-  
 ierunt ad te nocte? educ illos huc. &c.  
 Cetera prohibet pudor, componunt  
 quidem sacræ literæ verbum honestum;  
 quo sine rubore modestiùs exprimant  
 abominationem nefandam: ast ipsum  
 execrandum scelus exarare refugiunt.  
*Educ*, inquit, *illos huc, ut cognos-*  
*camus eos.* Prò bestias! incarnatos  
 Diabolos! infandum! ubi hæres jul-  
 titia! prorumpite fulmina; quassate  
 probra. Jam prope erat, ut effringe-  
 rent fores infernales furix: & ecce per-  
 cussi sunt cætitate à minimo usque ad  
 maximum, ita ut ostium invenire non  
 possent. Dixeruntque Angeli delebimus  
 locum istum, eò quod increvit clamor  
 eorum coram Domino, qui misit nos, ut  
 perdamus illos: cumque esset mane, co-  
 gebant Lot, dicentes, tolle uxorem tu-  
 am, & duas Filias, quas habes, ne & tu  
 Pariter pereas in scelere civitatis: dis-  
 simulante illo apprehenderunt manum  
 ejus & manum uxoris ac duarum Filia-  
 rum ejus, eduxeruntque & posuerunt  
 extra

*Lot cum  
 suis edu-  
 citur So-  
 domus.*

extrà civitatem dicentes: salva animam tuam, noli respicere post tergum. Quando Sol egressus est super terram; *pluit Dominus super Sodomam Interitum & Gomorrhham sulphur & ignem de urbis. caelo; & subvertit civitates has, & omnem circa Regionem, universos habitatores urbium & cuncta terræ virentia.* Verè & severè scribit Esdras c. 15. *exiit ignis ab ira ejus, & devoravit fundamenta terræ & Peccatores quasi stramen incensum. Va eis qui peccant, dixit Dominus; non parcam illis.* Præ-nuntiabant exitium, & prodromum incutiebant terrorem, atro spissæ fumo, erumpentes nubes, volitantes per aërem favillæ, densè cadens inflammata grandinis imber, ita in momenta singula magis incitatus, ut ubique prius, quàm ullibi posset occurri, longè lateque fusus, terreret omnes, neminem restinguere sineret. Nullum usquam luctuosius spectaculum, nullum horribilius visum, extiterit unquam; plura domuum millia, rapacitate ignis incredibili correpta, conflagrabant certatim: nulla adiri poterat in urbe regio, nullus

nullus vicus, ædificium nullum, nul-  
 lus refugii locus, ubi non debacchare-  
 tur ignium fragor & furor, indiscri-  
 minatim pari inexpugnabili sulphure  
 ardebant omnia. Sic incolæ & accolæ,  
 sic omnis sexus & ætas, in infans, jam  
 feris lamentis, aut mephiti sulphureâ  
 præfocati, aut igne combusti, unâ om-  
 nes cum urbe & adsitâ terrâ, simul terro  
 incendio hausti & absumpti, despera-  
 tē perierunt. Eo durante iræ divinæ  
 iudicio, ut in horribilis hujus excidii per-  
 enne signum, justitiæ exemplar, & pec-  
 catorum horrorem; voluerit id loci  
 Deus continuò fumare polum, & steri-  
 lescere solum. Sap. 10. *descendente ig-  
 ne in Pentapolim, quibus in testimo-  
 nium nequitiae fumigabunda constat  
 deserta terra: & incerto tempore fru-  
 ctus habentes arbores: & incredibilis  
 animæ memoriæ stans figmentum salis.*  
 Nempe; curiosum animal, stulta mu-  
 lier uxor Lot, respiciens post se, verâ  
 est in statuam salis. Testatur Josephus,  
 hanc salis infelicem effigiem ad suum  
 usque sæculum substitisse: & sunt Au-  
 thores recentiores, qui etiamnum ean-  
 dem

*Locus ju-  
 sti manet  
 sterilis &  
 fumigans*

dem persistere, & usq; ad extremum resurrectionis & iudicii diem duraturam asseverant. Tertullianus sustinet, si à quopiam mutiletur mox hoc mutilum, quasi vulnus suum resarcire ac iterum adimplere. Incertum est, num Deus mulieris hujus animam pariter ac corpus traxerit in exitium, nec convenit tangere, quod Deus & sacra pagina intactum relinquunt: quemadmodum verò sulphureum Sodomorum bustum, ita falsum hoc monumentum, posteritati in exemplum esse statutum; ipse Dei filius indubitatum facit; Luc. 17. *Sicut fulgur coruscans sub caelo, in ea, quæ sub caelo sunt, fulget, ita erit filius hominis in die suâ: primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. & sicut factum est in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant, quâ die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem & Sulphur de caelo, & omnes perdidit; secundum hoc erit quâ die filius hominis revelabitur, in illâ horâ, qui fuerit in tecto, & vasa ejus in do-*

*Q* mo,

mo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat rerio memores estote uxoris Loth. Augustius in Psalm. 83. subjungit: Non attendunt homines; quanto terrore dictum sit; *Mementote uxoris Loth.* Hi nempe, qui in tribulatione retrò respiciunt; & se à spe divinæ promissionis avertunt quærentes hic aliquam requiem, quæ si habetur, falsa est, respiciunt retrò, & deficiunt à proposito. Esdræ lib. 4. c. 2. Ipse Deus loquens inducitur: *Væ tibi Assur, qui abscondis iniquos penes te: gens mala memorare, quid fecerim Sodomæ & Gomorrhæ quorum terra jacet in piceis glebis, & aggeribus cinerum. Sic dabo eos, qui me non audierunt, dicit Dominus omnipotens. Agedum Peccator, respicito non nihil retrò, tibi permillum est; & flagrantes in flagitiis suis urbes, Sodomam & Gomorham intuere simul & prospicito antè, & ni brevi sapias, conscriptum tibi Psalmo 10. Testamentum legito; *Pluet super peccatores laqueos: agnis & sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum.**

Ele.

Elementum Aëris.

C R U X

Pharaonis & Ægypti Exod. 8.

9. 10. Aër muscis, locustis, peste,  
grandine, tonitru, fulgure,  
tenebris, infestus & vindex.

**M**oyfes & Aaron fratres, authorita-  
te divinâ ablegati ad Pharonem  
Ægypti Regem, qui Israëliticum popu-  
lum durâ nimis servitute premebat, in  
hæc verba profantur Exod. 5. Hæc di-  
cit Dominus Deus Israël : dimitte po-  
pulum meum, ut Sacrificet mihi in de-  
serto. At ille respondit : quis est Domi-  
nus, ut audiam vocem ejus? & dimit-  
tam Israël? nescio Dominum: & Israël  
non dimittam. Quid exspectari potuis-  
set insolentius, quid magis impium re-  
sponso hujus Principis? per contemp-  
tum recoquit dicta Moyfis; & reboat;  
quis est Dominus? nescio Dominum:  
quò ostendat non agnoscere se ullum  
se superiorem; neque æstimare  
Q 2 Isra-

Israëlis Deum ; nec concessurum , quæ  
ejus nomine postulantur.

Ad hæc dixit Dominus ad Moysen :  
Nunc videbis , quæ facturus sim Pha-  
raoni : multiplicabo signa & ostenta  
mea in terrâ Ægypti. Quod quidem  
per omnia omninò elementa potissi-  
mùm tamen in aëre ; cujus turbine Rex  
inflatus stolidè turgescibat , cu-  
mulatius præstitum esse intuebi-  
mur.

Regressi , jussu Dei ad Pharao-  
nem Moyses & Aaron , per ostenta  
cor durum inflectere auspican-  
tur.

*Virga Aa-  
ronis ver-  
sa in colu-  
brum.*

Projicit Aaron virgam suam , coram  
Rege & servis ejus , è manu in terram,  
& versa est in colubrum. Vocavit autem  
Pharao maleficos , & ipsi per incantati-  
ones suas Ægyptiacas , projecerunt sin-  
guli virgas suas quæ versæ sunt in dra-  
cones : sed devoravit virga Aaron ,  
virgas eorum. Ingravatum est inde  
cor Pharaonis ; nec voluit dimittere  
populum.

Dixit autem Dominus ad Moysen :  
vade ad eum manè : ecce egredietur ad  
aqua:

aquas: & stabis in occursum ejus super ripam fluminis; & virgam, quæ conversa est in draconem, tolles in manu tua; dicesque ad eum; Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens: dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto, & usque ad præsens audire noluisti: hæc igitur dicit Dominus: in hoc scies, quod sim Dominus: ecce percutiam virgâ, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem: extendam manum super aquas Ægypti & super fluvios eorum, & rivos ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem & sit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis, quàm in saxeis vasibus.

Et elevans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone & servis ejus, quæ versa est in sanguinem; & non poterant Ægyptii liberæ aquam fluminis; & fuit sanguis in totâ terrâ Ægypti. Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis; & induratum est cor Pharaonis. Avertitque se, & ingressus est domum suam: nec

*Nilus  
vertitur  
in sang-  
uine.*



apposuit cor etiam hac vice : nec audivit eos : impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium.

Vix illustrius Domini sui supremi specimen apud Ægyptios dari poterat; quàm fluvium Nilum quem ipsi, (ut Theodoretus & alii Patres referunt) velut primum facultatum suarum principium, ac Deastrum reverebantur, subigere imperio, atque ejus limphas, omnis fecunditatis Ægyptiacæ existimatas cataractas, conglobare in cruorem, qui torpore reses & corruptus, jam nemini saluber, lethalis omnibus cesset deinceps, ut Deastri digna soboles perperam observari.

*Invalescunt Ranae*

Post hæc dixit quoque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem & dices ad eum : Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum : sin autem nolueris dimittere ; ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis ; & ebiullet fluvius ranas, quæ ascendent & ingredientur domum.

mum tuam ; & cubiculum lecti tui  
 & super stratum tuum ; & in domos  
 servorum tuorum, & in populum tuum:  
 & in furnos tuos, & in reliquias ciborum  
 tuorum. Et extendit Aaron manum  
 super aquas Ægypti & ascenderunt  
 ranæ, operueruntque terram. fecerunt  
 autem & malefici per incantationes su-  
 as similiter.

Mirum primâ fronte videri posset, *Cur Ma-*  
 quod Præpotens Deus permiserit ma- *gis per-*  
 leficos istos Cacodæmonis artifices, *missum*  
 cum Moyse & Aarone concertare *parare*  
 portentis : verùm sit ad rem planiùs *mira.*  
 referamus animum; patebit certamen  
 hoc ad Dæmonis confusionem !  
 Dei veri triumphum, maleficorum lu-  
 dibrium, Moyfis & Aaronis gloriosius  
 ornamentum, contulisse quamplu-  
 rimùm. Projectæ maleficorum virgæ,  
 versæ quidem fuerunt in dracones; sed  
 mox ab Aaronis Virgâ, per mo-  
 dum abjecti boli devorata, victrici  
 stringebantur ingluvie. Effecerunt  
 etiam incantationibus suis dia-  
 bolicis, ut aqua fluminis

Q 4

ver-

verteretur in sanguinem: ast eum ite-  
 rum purificare, & reducere ad flumen  
 aquas, minimè valuerunt. Noverunt  
 pariter per incantamenta magica indu-  
 cere ranas super terram: eis verò recep-  
 tui canere, & hac plagâ afflictam patri-  
 am liberare, nequicquam didicerant.  
 Itaque cum talibus, tam rudibus, tam  
 infirmis Athletis conferere manus erat  
 victoriæ indubitatae proludere. Istæ  
 enim omnia, quæ præstigiæ cona-  
 tus, cunctasque inferorum vires, exce-  
 dere comperta sunt, quantò Moyses &  
 Aaron abundantius promptiusque  
 præstabant, tantò præ æmulis emine-  
 bant altiùs; triumphabant insigniùs;  
 succumbebat contumax Rex Phara-  
 luculentius. Nobiscum facit divus Au-  
 gustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 8.  
*Magi Pharaonis facere quædam mira  
 permissi, ut mirabilius vinceretur.*  
 Quemadmodum hic victus, ringente  
 licet superbâ mente, ad Moysen & Aa-  
 ronem confugere, eorumque favores  
 implorare cogitur; ut importunos in-  
 cultosque inquilinos, coaxantes ranas,  
 palatium suum catervatim, ut lacunam  
 infi-

insidentes; sordidos nauseosque in  
 mensa convivias; subhorridos in thala-  
 mo confortes, ubi vis asseclas inaccep-  
 tos; virtute sui Israëlis Dei, abs se abi-  
 gere, suâ domo eliminare, propulsarè-  
 que regno toto non dedignentur. cap.  
 8. v. 8. *Vocavit Pharaon Moysen & Aa-  
 ron & dixit eis: orate Dominum ut  
 auferat ranas à me, & à populo meo:  
 & dimittam populum ut Sacrificet Do-  
 mino. Juxtâ verbum tuum faciam.* in-  
 quit Moyses, ut scias quoniam non est  
 sicut Deus noster & mortuæ sunt ranæ  
 de domibus, & de villis, & de agris:  
 congregaverunt eas in immensos ag-  
 geres, & computruit terra. Videns au-  
 tem Pharaon, quod data esset requies:  
 ingravavit cor suum, & non audivit eos.

Quid agis Pharaon? ubi regia fides?  
 dimittam, addixisti, populum, ut sa-  
 crificet Domino: promissum tuum re-  
 poscitur. Sed hæc susque deque habent  
 perfidi: jam tum nostri hujus ævi insti-  
 tutis pro pudor, politicis, minimè Chris-  
 tianis at temperasse sua dicta videntur,  
 quibus Regem flagitiosè prætendunt,  
 non alligari verbo.

Q 5

Tunc

Tunc dixit Dominus ad Moysen; loquere ad Aaron:extende virgam tuam & percute pulverem terræ: & sint scyniphes in universâ terrâ Ægypti. Et extendit Aaron manum, virgam tenens percussitque pulverem terræ, & facti sunt scyniphes in hominibus, & in iumentis, omnis pulvis terræ versus est in scyniphes per totam terram Ægypti. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent Scynephes, & non potuerunt. Voluerunt quidam Hebræorum interpretum, per Scyniphes, sit verbo venia, intelligi pedes, discrepat Augustinus, quocum recentiores passim concordant, ajuntq; Scyniphes fuisse parvas, importunas, inquietasq; muscas; quæ proboscide suâ peracutâ penetrare cutem, inflammare sanguinem, acriter pungere, continuosque infigere aculeos, aptæ natæ fuerint: huncque volantem muscarum exercitum, per aëra vagabundum, in Ægyptiorum frontibus, manibus, pedibus, castrametatum esse: & qualicumque demum nisu excussæ repellerentur; mox iterum primo momento, instauratis denuò turmis, fortius

tius innovasse assultum. Maleficia itaque, cum in hac plagâ delusam suam artem, fractasque vires persentiscerent, dixerunt ad Pharaonem: *Digitus Dei est hic*: potentius Numen operatur; cui minimè resistendo sumus: hætenus in terrâ & aqua stetit concertatio: nunc in aëre res geritur, unde proscripta nostra potestas, humi serpere enervata cogitur: est Cœlum Cœli Domino. Induratumque est cor Pharaonis; & non audivit eos.

Instat proinde Dominus; ecce ego *Secunda* immittam in te, & in servos tuos, & in *ex aëre* populum tuum, & in domos tuas, omne *plaga,* genus muscarum faciamque mirabilem *omne ge-* terram Gessen, in qua populus meus *nus mus-* est, ut non sint ibi muscæ: & scies quo- *carum.* niam ego Dominus in medio terræ: cras erit signum istud. Et venit musca gravissima in domos Pharaonis, & servorum ejus, & in omnem terram Ægypti, corruptaque est terra.

Scyniphes quantumvis acres, sed muscæ leves, nequiverunt Regis perfrictam frontem expugnare: mittuntur ergo suppetiæ, innumeræ auxiliares copiæ, *mus-*

muscæ gravissimæ, ex omni culicum progenie : hæc torserunt adeo & homines & bestias, morsu suo acerbo simul ac virulento; ut denique feros fastidiosusque Rex compulsus fuerit apud Moysen & Deum deprecari plagam, *Vocavitque Pharaon Moysen & Aaron, & ait eis: ego dimittam vos, ut sacrificatis Domino Deo vestro; rogate pro me: & ait Moyses: orabo Dominum, & recedet musca, veruntamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum.* Egressusque Moyses oravit Dominum, & abstulit muscas: non superfuit, ne una quidem, & ingravatam est cor Pharaonis, ita ut nec hac quidem vice, dimitteret populum.

*Tertia æris plaga  
Pestis iumentorum.*

Monetur itaque Pharaon: dimitte populum; quod si adhuc renuis; ecce manus Domini erit super agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & boves & oves; pestis valde gravis. Altera die mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum; de animalibus vero filiorum Israël nihil omnino perit. Et misit Pharaon ad videndum, nec erat quidquam mortuum de his qui possidebat Israël.

In-

Ingravatumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum.

Verè stolidè stupida perstat Ægyptiorum impietas, pergentium colere boves & oves, uti Deos; quorum incolunitatem, vitam & mortem pendere cernebant, è libera manu ac beneplacito omnipotentis Dei Israëlis: qui non cessans compescere rebelles, mandat denuò Moyli & Aaroni; tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coràm Pharaone, erunt in hominibus & jumentis ulcera, & vesicæ urgentes, in universâ terrâ Ægypti. Factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus & jumentis. Nec poterant malefici stare coram Moysè propter ulcera, quæ in illis erant. Refert Philon fuisse hanc plagam admodum terrificam; quæ plerisque hominum ac jumentorum à capite ad calcem usque obscœnè exulcerarit: undè eam Deus, tanquam malum gravissimum intentat peccatori, Deuteron: 28. cap. v. 27. & 35. *percutiat te Dominus ulcere Ægypti; & partem corporis scabie quoque & purigine: ulcere pessimo*

*Quarta  
aeris plaga  
cinis  
camini, in  
cœlum  
sparsus,  
causat ulcera.*



*fimo in genibus & in suris, sanarique non possis à plantâ pedis, usque ad verticem tuum. Induravitque Dominus cor Pharaonis & non audivit eos.*

*Quinta  
aeris pla-  
ga grando  
tonitrua  
fulgura.*

Hic jam percontatur Dominus à Pharaone: adhuc retines populum meum, & non vis dimittere eum? en pluam grandinem multam nimis, qualis non fuit. Extenditque Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem ac discurrentia fulgura super terram, & percussit grandis cuncta, quæ fuerunt in agris ab homine usque ad jumentum. Tempestas Esdræ 15. visa hic ingruerat. *Ingebunt cultotes operantes terram; quoniam deficient semina eorum ab uredine, & grandine, & sydere terribili, ecce nubes ab oriente, à septentrione usque ad meridianum & facies earum horrida valde, plena iræ & procellæ; horrebunt qui videbunt iram illam.* Exhorruit etiam Pharaon, misitque & vocavit Moysen ad Aaron, dicens ad eos: peccavi etiam nunc Dominus justus: ego & populus meus impii: orate Dominum, ut desinant tonitrua Dei & grando; ut dimittam vos;

&

& nequaquam hic ultra maneatis. Tendit Moyses manus ad Dominum & cessaverunt tonitrua & grando, videns autem Pharaon, quod cessasset pluvia, & grando & tonitrua, auxit peccatum: nec dimisit Filios Israël.

Dixit Dominus ad Moysen induravi cor Pharaonis & servorum illius, ut faciam signa mea hæc in eo: & narres in auribus Filii tui & nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis & sciatis, quia ego Dominus. Introierunt dein Moyses & Aaron ad Pharaonem & dixerunt ei; hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: usquequo non vis subjici mihi? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi; sin autem resistis & non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, quæ operiat faciem terræ, ne quicquam ejus appareat; sed comedatur quod residuum fuerit grandini: corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris: & implebunt domos tuas & servorum tuorum, & omnium Ægyptiorum; quantum non viderunt Patres tui & avi, ex quo orti sunt super terram, usque in præsentem diem, avertitque se & egres-

Ueli

Quomodo  
accipien-  
dum; in-  
duravi  
cor Pha-  
raonis.

Delicato isthoc scripturæ loco: ego  
induravi cor Pharaonis & servorum  
ejus: imperitè abutuntur hæreticorum  
nonnulli; libertatem hominis inde de-  
negantes; omnemque actionis pravæ  
malitiam & causam, refundentes in  
Deum. Sed sat clarè semetipsam expli-  
cat scriptura, præcedentibus subsequen-  
tibusque diversis locis: ubi exponit Pha-  
raonem ipsummet, cor suum ingrava-  
re, indurare, nec velle apponere, dum  
ergò dicitur, induravi cor Pharaonis;  
sensus est: commisi ipsum voluntariæ  
obstinatæ mentis pravitati, indulsi,  
se liberè dedat rebellis contra me, arto-  
gantiæ excessibus. August. in Exod.  
quæst. 18. *ut tale cor haberet Pharaon,  
quod patientia Dei non moveretur ad  
pietatem, sed potius ad impietatem, vi-  
tium proprii fuit.* Sufficit ad gerendum  
cor malis ingravatum; esse natum ex  
Adamo hominem, sibi soli relictum.  
Ita porrò Augustinus: *Nullum est pec-  
catum, quod faciat homo; quod non  
possit facere alter homo, si desit rector,  
à quo factus est homo.* Justè autem se  
subtrahit Deus, hominum rector, pec-  
cato;

caroribus, traditque eos cervicosæ proprii sui sensus obstinationi ; qui semper impia corde versant, nec nisi dira, dolos fraudesque capitales ementiuntur ore ; ità, ut continuo cuneus cuneum trudat, peccatum unum peccatum aliud, admittendum postulet. Augustinus contrà Julianum, lib. 5. cap. 4. *Ut eadem peccata sint, & peccatorum supplicia præteritorum; & suppliciorum merita futurorum.* Dixerunt autem Servi Pharaonis ad eum : usquequo patiemur hoc scandalum ? dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo ; nonne vides, quod perierit Ægyptus ? Revocaveruntque Moysen & Aaron ad Pharaonē : qui dixit eis : ite, Sacrificate Domino Deo vestro quinam sunt, qui ituri sunt ? ait Moyses, cum parvulis nostris & senioribus pergemus ; cum filiis & filiabus, cum ovibus & armentis ; est enim solemnitas Domini Dei nostri. Respondit Pharao : Non fiet ità, sed ite tantum viri hoc enim & ipsi petistis. Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis.

R

Ab-

*Turpitudinem mendacii.*

Abjecta improbitas est, malitiosè alucinari in verbis: sunt indecora homini, turpissima in Principe mendacia: nunquam insinuarat Moyses, viros solos, à mulieribus & infantibus segregatos, Domino sacrificatum abituros: ejusmodi tamen fictis falsisque fallaciis; ipsius postulata impudentissimè asperguntur. Quid mirum, accommodasse eum suis affectibus mendacium; qui nullum non facinus perpetrare audebat. O quot habet hodie dùm, propudiosos sui imitatores, hac in improbitate Pharaon! nolo Reges, nolo generosos tangere Principes; Reperies qui se regulos fingant; inque sua commoda, quævis opportuna struere mendacia perfidè præsumant, est futilibus hisce Deastris litandum silentio, simul ac vili conrempu.

*Sexta  
aëris plaga,  
ventus urens levans locustas.*

Interea Dominus induxit ventum urentem totâ die illâ & nocte; & mane facto, ventus urens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles quales, ante illud tempus non fuerant,

rant, nec postea futuræ sunt. Operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia, devorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat, nihilque omnino virens relictum est in lignis, & in herbis terræ, in cuncta Ægypto.

Quamobrem festinus Pharaos vocavit Moysen & Aaron, & dixit eis: *Peccavi in Dominum Deum vestrum, & in vos*: Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice; & rogate Dominum deum vestrum, ut auferat à me mortem istam.

Metuit sibi Pharaos ab locustarum lethifero morsu, qui sicuti correpta virentia omnia arrodendo exurebat. Itaque quos in homines figebatur, eosdem virulento ictu, interimebat, Sapient. 16. v. 9. *In hoc enim ostendisti inimicis nostris quia tu es, qui liberas ab omni malo: illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus & non est inventa sanitas animæ illorum, quia digni erant ab hujuscemodi exterminari filios autem tuos nec draconum; nec venenatorum vicerunt dentes.*

R 2

Egres-

Egressus Moyses de conspectu Pharaonis oravit Dominum : qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam project in mare rubrum : non remansit ne una quidem in cunctis finibus ægypti. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israël,

*Septima  
aeris pla-  
ga, Tene-  
bra.*

Dixitque Dominus ad Moysen extendende manum tuam in cælum : & factæ sunt tenebræ super terram Ægyptitam densæ, ut palpari queant. Extenditque Moyses manum in cælum ; & factæ sunt tenebræ horribiles in universâ terrâ Ægypti tribus diebus : nemo videt fratrem suum ; nec movit se de loco, in quo erat. Ubique autem habitabant filii Israël, lux erat.

Tenebræ in se aliud non sunt, quam privatio lucis neque cadunt sub sensum tactus : hic verò prodigosè offusa caligo asseritur esse palpabilis : fuit namque aër vaporibus, humidis, nebulis & nubibus tam densis, tamque spissis opertus, ut & in facie & manibus

istiusmodi crassum madorem persentire, necesse fuerit. Insuper hanc operam triduo noctem, reddiderunt horribilem spectra & umbræ; quæ suis è speluncis producta, in hac amicâ sibi obscuritate vagabantur, suisque subitis improvisisque terriculamentis, pavitantes impios, multum infestabant. Quemadmodum ipsemet Spiritus veritatis, lux illa beatissima, tenebrarum harum explicatorem agere, Sapient. 17. facundè legitur. *Dum persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum & longæ noctis, compediti, inclusi sub tectis jacuerunt: paventes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati: neque enim, quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat. quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes, pavorem illis præstabant. & ignis quidem nulla vis, poterat illis lumen præbere: nec siderum limpida flammæ, illuminare poterant illam noctem horrendam, apparebat*

R 5

autem

Spectra.



autem illis subitaneus ignis, timore plenus, & timore peruculsi illius, quæ non videbatur, faciei; existimabant deteriora esse, quæ videbantur: & si nihil illos ex monstris perturbabat; tractus animalium & serpentum sibilatione commoti, tremebundi peribant. Semper enim præsumit se va, perturbata conscientia. Aliquando monstrorum exagitabantur timore: aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim & insperatus timor supervenerat. Unâ catenâ tenebrarum erant omnes colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos, avium sonus suavis: aut vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitantium petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox; aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebat illos præ timore. Omnis enim orbis terrarum limpidò illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ super-

superventura erat illis. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebræ. Sanctis autem tuis, id est Israëlitis, maxima erat lux & horum quidem vocem inimici audiebant, sed figuram non videbant. Hæc ex sapiente.

Quod supra indicatum, nullam vim ignis potuisse illis lumen præbere, idipsum attingit etiam Philon, tam activum acremque fuisse aëris uvidum frigiumque vaporem; ut toties quoties accendere candelam, aut ignem instruere tentassent, nullum iis affulsisse lumen: sed veluti ardens lucerna in puteum profundè delata, languet & expirat; ita suscitato solùm gravi fumo, mox omnia restincta, mortuaque remansisse; nec ullam illos unquam in lucem valuisse emergere.

Mador  
aëris non  
patieba-  
tur arde-  
re quic-  
quam.

Vocavit Pharaon Moysen & Aaron, & dixit eis; ite, sacrificate Domino: oves tantum veltræ & armenta remaneant: parvuli vestri eant vobiscum. Ait Moyses: Hostias quoque & holocausta dabis nobis quæ offeramus Domino deo nostro, cuncti greges pergent nobiscum; non remanebit ex eis ungula, quæ necessaria sunt in

R 4

cul-

cultum Domini Dei nostri, præsertim cum ignoremus, quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus. Induravit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos: dixitque Pharaon ad Moysen: recede à me, & cave, ne ultra videas faciem meam, quocumque enim die apparueris mihi, morieris respondit Moyses: ita fiet, ut locutus non videbo ultra faciem tuam. Hic effert belluinam suam indolem furiosus Rex, audetque brutus minari mortem Moysi, quem tot argumentis potentior se, ac quasi Deum experiri debuerat. Responsum Moysis (ita fiet, ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam) visum Prophetæ divinum est: intelligebat enim inspirante Numine non procul abesse horam interitus barbari hujus Principis; in potentia justitiaeque divinæ signum insigne, quale non sit datum, dum steterit orbis. *Et exiit à Pharaone iratus nimis.* Hæc inspirabat sacrae mentis fervorem, quo in superbum impiissimi Regis caput, execrabatur Moyses, non ferens diutius vas hoc argillæ luteum, jam  
jam

jam in sexcenta comminuendum fragmenta; hunc vermem terræ, qui nec humi quidem serperet, nisi ex gratiâ ejus, quem adhuc dum arrodere nitebatur, tam prolongatâ impudentiâ insurgere in Creatorem, cœlique Domino refragari.

Et dixit Dominus ad Moysen: adhuc unâ plagâ tangam Pharaonem & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet. Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, & mulier à vicinâ suâ vasa argentea & aurea.

Factum est autem in noctis medio, *Nox primogenitorum.* percussit Dominus omne primogenitum in terrâ Ægypti; à Primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere; & omne primogenitum jumentorum. Surrexitque Pharaon nocte, & omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus, & ortus est clamor magnus: neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus. Vocatisque Pharaon, Moysen & Aaron nocte, ait; surgite & egredimini à populo meo, vos & Filii Israël. Ite, immolate Deo: oves vestras

R s

&amp;

& armenta sumite, ut petieratis; & abeuntes benedicite mihi: urgebantque Ægyptii populum de terrâ exire velociter, dicentes; omnes moriemur.

Non venit hæc plaga adscribenda aëri, sed oberrantibus per terram æque ac aëra geniis, iisque malis; quibus hanc edendam domatim stragem imperasse putatur Deus; DD. Augustino & Hieronimo propendentib<sup>9</sup> in hunc sensum arbitris, juxta psal. 77. v. 49. & seq. *Misit in eos iram indignationis suæ, immissiones per Angelos malos non pepercit à morte animabus eorum: & jumenta eorum in morte conclusit: & percussit omne primogenitum in terra Ægypti.*

*Spolium.*

Parabatur ergo abitus; petieruntque Filii Israel ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestemque plurimam; deditque Dominus gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis, & spoliaverunt Ægyptios. Nonne hoc paradoxum est: Deus, ipsa iustitia, imperat exuvias tollere, & spolia furtiva promovet. Nunquid inde

de manebit actio exspoliationis & furti *Ægyptiis* contra *Israel*? Dubium non esset si *Israelitæ* motu proprio, hæc præciosiora *Ægyptiorum* sibi mutua dari postulassent, animo, quo abibant, non redeundi, nec unquam restituendi accomodata, quin tanquam expilatores infames, ac in jus naturale gravissimè peccantes, depopulatores publici haberi possent: nunc vero, cum Deus, qui cunctarum Mundi divitiarum primus possessor ac Dominus absolutus est, hæc fieri mandarit; evanescit omnis difficultas, nulla remanet iniquitas: & quod ait Augustinus lib. 22. cap. 21. contra Faustinum: *Divinis imperiis cedendum obtemperando, non resistendum disputando: digni erant, & illi, quibus talia juberentur; & isti, qui talia paterentur. Hoc facere Hebræi divina dispensatione illius judicio justo bonoque permissi sunt, quinovit & pœnis vel coercere improbos, vel erudire subjectos.* S. Irenæus lib. 4. cap. 49. adversus hæres. De hoc spolio hæc habet: Quid injustè gestum est: si

EX

ex multis pauca sumpserunt: & qui poterant multas substantias suas habere, si non seruissent Ægyptiis, & diuites abire; paucissimam mercedem pro magna seruitute accipientes, inopes abierunt. Confirmatur isthoc sapientia re, ubi hoc est, hac de re Spiritus sancti loquium: *Reddidit iustis mercedem laborum suorum: & eduxit illos in uiam mirabili; transtulit illos per mare rubrum: inimicos autem illorum demersit in mare, iusti tulerunt spolia impiorum.*

*Egressus  
Israëlis.*

Profecit tandem sunt sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis: sed & vulgus promiscuum innumerable ascendit cum eis: oves & armenta, & animantia diversi generis multa nimis. Habitatio illorum, quã manserunt in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum: quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum, eò quod adjurasset Filios Israël. dicens: visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc uobiscum. Dominus autem præcedebat eos

*Columina  
nubis &  
ignis.*

eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis; & per noctem in columnâ ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. Ea siquidem erat solitudinis illius desertissimæ, inculta horridaque vastitas; ut si quando urgente negotio viatores per sola abditaque hæc loca, in quibus nec minimum ullius viæ aut semitæ extabat vestigium, transire cogerentur; auxilio acûs magneticæ, pro ut mare navigantes factitant, juvare se, ac cæli astrorumque observatu, in terminum suum dirigere, in more necessitateque positum haberent. Ideoque nunquam defuit columna nubis per diem; nec columna ignis per noctem coram populo: qui cum lassus subsisteret in via, columna sive ignis noctu; sive nubis interdiu, adhærebat tabernaculo: & quamdiu immota eidem insisteret; tamdiu quieti vacabat populus: quando autem movebatur, & à tabernaculo sursum elevata, altius parebat in aëre; tunc exurgens exercitus, castra levabat, se dabit in pedes, ductumque sequebatur. Præter binas has nubis & ignis columnas subveniebat clemens

cœ.



coelum, sub dio degentibus tertiâ quadam nube, quæ ad modum tentorii, & amplissimi veli, longè latèque supra totum exercitum extenta, ab æstu solis ardentissimi, omnique aliâ aeris intemperie universum populum protegebat. De qua ait David p̄sa. 104. *Expandit nubem in protectionem eorum.*

Non eos duxit Deus per viam terræ Philistum, quæ vicina erat: reputans ne fortè pœniteret populum, si vidisset adversum se bella consurgere: sed circumduxit per viam deserti juxta mare rubrum; & armati ascenderunt Filii Israel. Hic ostenditur, inquit Augustinus in Exord. quæst. 40. omnia fieri debere consilio, quæ consilio rectè fieri possunt, ad evitanda, quæ adversa sunt: etiam cum Deus apertissimè adjutor est.

*Pharao  
insequitur  
Israel.*

Nunciatum est Regi Ægyptiorum, quod fugisset populus: immutatumque est cor Pharaonis, & persecutus est Filios Israel. Cumque appropinquasset, levantes Filii Israel oculos, viderunt Ægyptios post se; & timuerunt valdè, clamaveruntque ad Dominum. Et ait Moy-  
tes

ses ad populum: nolite timere, stete, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie: Dominus pugnabit pro nobis, & vos tacebitis. Cumque extendisset Moyses manum, elevatâ virgâ super mare; abstulit illud Dominus flante vento vehementi & urente, totâ nocte, & vertit in siccum, divisaque est aqua: & ingressi sunt Filii Israel per medium siccimaris: erat enim aqua, quasi murus à dextrâ eorum & lævâ. Persequentesque Ægyptii, ingressi sunt post eos; & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus & equites, per medium maris Jamq; advenerat vigilia matutina & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum; subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptii, fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis, contra nos. Cumque extendisset Moyses manum contra mare; reversum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ; & involvit eos Dominus in mediis fluctibus: & aquæ

*Mare  
præbet  
transitum  
Israelitis.*

*Absorbetur  
exercitus  
Pharaonis.*

aquæ operuerunt currus & equites  
 cuncti exercitus Pharaonis: *nec unus  
 quidem superfuit ex eis.* Nec unus, ex  
 currubus, quos sexcentos electos, &  
 quicquid præterea in Ægypto curruum  
 erat, secum Pharao abduxerat in cam-  
 pum: Nec unus, de peditum ducentis  
 millibus: Nec unus, de quinquaginta  
 millibus equitum: Nec unus, de exerci-  
 tus totius ducibus: omnes ad unum, à  
 refluxente præcipitanter mari, undique  
 præoccupati; ab aëre seclusi, respirare  
 prohibiti, teterrimè suffocantur. triumphante tandem contrà impium, se-  
 subtrahendo, aëris elemento. *Timuit  
 que populus Deum, & crediderunt  
 Domino, & Moyfi seruo ejus.*

Age sis mihi Lector, quod tunc Moy-  
 si imperabatur, etiam nunc exequere,  
 narretur nomen Domini in omni terrâ.  
 Narres in auribus Filii tui & neporum  
 tuorum; quoties ostenderit Dominus  
 fortitudinem suam, ac contriverit Æ-  
 gyptios, & signa fecerit in eis: ut  
 sciant, *quia ille Dominus,  
 & non sit similis illi in  
 omni terrâ.*

Elemen:

# Elementum Terræ.

## C R U X

Core, Dathan, & Abiron, Num. 16.  
Dehiscens tellus.

**A**lma tellus, mater omnium, altrix  
nostra, præ ceteris elementis mi-  
tioris indolis, semper est benefica; in-  
donis constans ac firma; nec unquam,  
nisi summè irritetur, infida. Non ra-  
rò Aqua inundans, sæpè Ignis exorbi-  
tans, sæpiùs aër vitioso afflatu sæviens,  
pro libitu infestant orbem; quandò be-  
nigna humus, nunquàm non sibi simi-  
lis & æqua, præsto adstat omni crea-  
turæ officiosa; in omnibus ubique  
continens; Sed in unius solius, con-  
tumacis peccatoris vindictam, surri-  
git hastam: commovetur & tremit ad  
scelus; non fert flagitia, quæ cun-  
cta profert emolumenta: rumpitur  
hiatu, resorbetque infima voragine,  
probrosa soli pondera. Instauramus  
proscenium, quo hujus rei solenne ce-  
lebretur spectaculum.

*Terra præ  
aliis ele-  
mentis be-  
nignior.*

S

Caath

*Moyſes,  
Aaron &  
Core patrueles.*

*Core Da-  
tham &  
Abiron in-  
ſurgunt  
contra  
Moyſen.*

Caath filius Levi, fuit parens Amaram & Iſaar: Amaram nactus eſt filios Aaron & Moyſen: Iſaar habuit filium Core: Ita Aaron, Moyſes, & Core, erant filii duorum fratrum, Moyſes & Aaron primogeniti; Core ſecundò geniti; adeoque veri patrueles. Hinc Core nequaquam ſe minorem nequaquam ſe minorem gerens Aarone & Moyſe, tanquam de eadem ſtripe Levi, pari cum eiſdem nobilitate natum. Dathan verò & Abiron adhuc ſublimius intendebant arcum; arrogant ſibi prærogativam ſuprà Aaron & Moyſem; eò quod eſſent oriundi de proſapia Ruben, primogenito Jacobi cum Moyſes & Aaron deſcenderent de Levi, non niſi tertio-genito Jacobi. Undè ferentes ægrè Moyſem & Aaronem præfulgere ſupremâ ſacerdotii ſummi dignitate, & ſe poſthaberi, inſurrexerunt contra eos, unà cum aliis filiorum Iſraël. ducentis quinquaginta viris, ſynagogæ proceribus, qui tempore concilii per nomina vocabantur. Cumque ſtetiffent adverſus Moyſen & Aaron, dixerunt: *Sufficiat vobis,*

*quia*

quia omnis multitudo Sanctorum  
est: & in ipsis est dominus: cur eleva-  
mini super populum Domini?

Vocaverat Deus ipse Moysen, & ad  
capessenda . tractandaque sui populi  
gubernacula, coegerat quodammodo  
renitentem Aaronem, quoque nihil  
minus cogitantem ambientemque, su-  
premo Pontificatus honore insignitum,  
adjunxerat fratri in levamen. Cujus  
ergo frontis isthæc exprobratio, Cur  
elevamini super populum Domini?  
Turbulentæ contentionis impetus est,  
maleferiatorum seditio. Core, Dat-  
han & Abiron, autoritate suâ pro-  
pria ac protervâ, tam politicum impe-  
rium, quàm sacrum ministerium  
ad se violenter trahere intende-  
bant,

Quod cum audisset Moyses cecidit  
pronus in faciem; seque profundissimè  
coràm divinâ majestate demittebat :  
mox affurgens, locutusque ad Core  
& ad omnem multitudinem : manè,  
inquit, notum faciet Dominus, qui  
ad se pertineant audite filii Levi,  
Nùm parum vobis est ; quod  
S 2 se-

*Moyses  
humilitas*

separavit vos Deus Israël ab omni populo; & junxit sibi, ut serviretis illi in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei. *an idcirco ad se fecit accedere te, & omnes fratres tuos, filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vendicetis? & omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est Aaron, ut murmuretis contra eum? misitque Moyses, ut vocaret Dathan & Abiron, qui responderunt: non venimus nunquid parum est tibi, quod eduxeris nos, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? an & oculos nostros vis eruere? non venimus. Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum: ne respicias sacrificia eorum; tu scis, quod non afflixerim quempiam eorum. Altero die, cum stantibus Moysè & Aarone concervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini: locutusque Dominus ad Moysen & Aaron ait: Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem atque dixerunt: Fortissime Deus Spirituum uni-  
 verſa*

versæ carnis; num uno peccante contra omnes ira tua desæviet? & ait Dominus ad Moysen: præcipe universo populo, ut separetur à tabernaculis, Core, Dathan, & Abiron, surrexitque Moyses & abiit: & sequentibus eum senioribus Israël, dixit ad turbam: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvami in peccatis eorum. Cumque recessissent à Tentoriis eorum per circuitum: Dathan & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus ac liberis, omnique frequentiâ. Et ait Moyses: in hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: si consuetâ hominum morte interierint, & visitaverit eos plaga, quâ & ceteri visitari solent, non misit me Dominus: sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia, quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum; scietis quod blasphemaverint Dominum.

*Suberit  
populus  
declinare  
impiorum  
tabernacula.*



*Hiatus  
terra ab-  
sorbentur  
seditiosi.*

Confestim igitur, ut cessavit loqui disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, & universâ substantiâ eorum: descenderuntque vivi in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis. At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium dicens: ne forte & nos terra deglutiat. Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, concitationis huius improbæ factiosos congerrones.

Quid agis mi lector! funestæ huius tragœdiæ prodens spectator? nunquid unâ cum saniore Israële, ad pereuntium clamorem, tentoria factiosorum fugies, ne & te terra deglutiat! Nonne recedes à papilionibus ambitiosorū? ne involvaris minus cautus interitu eorū. An non cavebis, tangere, quæ ad dissensionem turbidam vel à longe pertinent: ne ab igne corripiaris. Jam est edocta terra dehiscere ad murmura, absorbere leditiosa flagitia, ambitiosos, etiam vivos, detrudere in ima tartara.

Hæc deploranda sunt contumacium Peccatorum fata. Væ illis! Væ! qui corde

corde tali ingravato perditè incedunt ;  
 qui, ut lamentatur Jeremias cap. 3. & 6.  
*Pro verbis pœnitentiæ blasphemant ,*  
*& implent cogitationem suam malam :*  
*qui confusione non sunt confusi, & eru-*  
*bescere ne scierunt : quamobrem cadent*  
*inter ruentes : æs & ferrum universi*  
*corrupti sunt : defecit sufflatorium in*  
*igne: consumptum est plumbum frustra*  
*conflavit conflator: malitiæ eorum non*  
*sunt consumptæ ; argentum reprobum*  
*vocate eos , quia Dominus projecit il-*  
 los. Heu misera fata! avertant à se  
 singuli malum hoc malorum maxi-  
 mum.

Cesso hic referre, quomodo altera post  
 Core absorptum die, egressa à Domino  
 ira, vastaverit igne quatuordecim mil-  
 lia hominum, & septingentos denuò re-  
 belles. Non refodiam sepulchra concu-  
 piscentiæ, quibus Num. 11. Furor Domi-  
 ni concitatus in populum, insaturabiles  
 carniū ceparūque lurcones contu-  
 mulavit: nolo congerere lapides, quibus  
 Blasphemus levit. 24. Achan. pro furto  
 anathematis Josue. 7. & colligens lig-  
 na in sabbato, Num. 15. concussi, durè  
 S 4 succu-

succubuerunt. Non tangam serpentes  
 ignitos, invadentes populum, Num. 21.  
 Non numerabo alias, quæ vel ex his so-  
 lis, in quibus versamur, numerorum pa-  
 ginis, enumerari possent propè innume-  
 ræ impiorum strages. Explorati, heu  
 dolor illorum! nimium sunt exitiales  
 pervicacium interitus: non sacri solum  
 annales, quibus unis inhærere amavi;  
 sed & profana veteris recentiorisque  
 memoriæ monimenta, horrendis hujus-  
 cemodi cladibus referta conspiciuntur.  
 Legamus decretum, quod Esdræ con-  
 scribendum commisit Dominus lib. 4. c. 17.  
*Ecce, loquere in aures plebis meæ ser-  
 mones prophetiæ; quos immisero in os  
 tuum: & fac ut in Chartâ scribantur,  
 quoniam fideles: & veri sunt: ecce ego  
 induco super orbem terrarum mala,  
 gladium, & famem, & mortem, & in-  
 teritum; propter quod superpolluit ini-  
 quitas omnem terram, & adimpleta  
 sunt opera nociva eorum. Jam non sile-  
 bo de iniquitatibus eorum; nec sustine-  
 bo in his, quæ iniquè exercent; vindi-  
 cans vindicabo.*